Illuſtriſſimo Principi

JACOBO Duci *ORMONIÆ*,

Regni Hibernici tertiò (nec dum ſatis)

PROREGI;

Et (quod apud Eruditos non minùs illuſtre ſonat)

utriuſque Academiæ florentiſſimæ,

OXONIENSIS & DUBLINIENSIS,

D. Cancellario honoratiſſimo, exoptatiſſimo,

(& ſi par votis ſucceſſus fuerit, ſempiterno,)

Liber hic, Llibrique Author,

ſe humiliter

D. D. C.

Illuſtriſſimo Principi

JACOBO Duci *ORMONIÆ*,

Regni Hibernici tertiò (nec dum ſatis)

PROREGI;

Et (quod apud Eruditos non minùs illuſtre ſonat)

utriuſque Academiæ florentiſſimæ,

OXONIENSIS & DUBLINIENSIS,

D. Cancellario honoratiſſimo, exoptatiſſimo,

(& ſi par votis ſucceſſus fuerit, ſempiterno,)

Liber hic, Llibrique Author,

ſe humiliter

D. D. C.


Institutiones
LOGICÆ.

IN USUM
JUVENTUTIS ACADEMICÆ
DUBLINIENSIS.



DUBLINI,
Apud S. HELSHAM ad *Insignia Collegii*, in vico vulgò dicto *Castle-street*. 1681.

ad pag 22



Major Term { EFFECTUS sc Non scintillare } Medius Term
EFFEC TUS
Cognitio Imperfecta
Cognitio perfecta.
Regressus a perfectà cognitione Causæ ad perfectam cognitionem Effectus.
Progressus ab imperfectà cognitione Effectus ad imperfectam cognitionem Causæ
Minor Term
Minor Term
Plane tas
Plane tas
CAU SA
Cognitio Imperfecta
Cognitio perfecta
Major Term { CAUSA sc Esse prope } Medius Term



AD LECTOREM.

Difficile eſt placere hominibus, etiam quando illis prodeſſe cupis; quod me facturum in Inſtitutionibus *hiſce edendis haud fruſtra ſperaveram, quippe quas non alio fine vulgavi, quàm ut utilitati Juvenum inſervirent, utpote quibus citiùs & faciliùs in intima Logicæ penetralia introducerentur, quàm ex* Burgerſdicii, Sanderſoni, *aliorumve vulgatorum Syſtematum lectione fieri poſſe mihi viſum eſt.*

Cùm enim in omnibus illis multa deeſſe, multáque ſuperflua eſſe, ac non pauca Tyronum captum longè excedentia, minúſve expedita deprehenderam, & quomodo huic malo medica manus adhiberetur mecum diu cogitaveram, commodè accidit, ut amici quidam (dum Oxonii viverem) me rogarent Manuductionem ad Logicam Philippi du Trieu *augere, defecta aliquam-multa in eâ ſupplendo, totúmque Librum perpolire & in uſum publicum adornare; quod munus in me libenter ſuſcepi præſtandum, quia Methodum ejus perſpicuam, facilem ac optimam eſſe judicavi.*

Sed nondum ad umbilicum illud perduxeram, cùm & alia ſtudia me aliò avocabant, & ſuſcepti operis omnino tædebat, quoniam votis meis haud correſponſurum illud prævidebam; utpote quod eodem defectu, quo & alia Syſtemata, adhuc laboraverit, ſc. quod non firmiter jactis fundamentis, nec ſuis Principiis, Regulis & Axiomatis ſtabilita Præcepta tradiderit, præſertim in ſecundâ & tertiâ parte, niſi omnibus pene deletis in aliud opus transformatum fuerit; idque tum temporis præſtare per otium mihi non licebat. Cùm hoc autem Bibliopolæ (qui curaverat, ut foliâ quædam, prout à me aucta erant & ornata, jam tum imprimerentur) ſignificaveram, ille, ne ſpe lucri fruſtraretur, totum Librum, imperfectum licet, excudere decrevit; quod præſtitit Oxonii ante quinquennium, ut memini, ſub titulo Manuductionis ad Logicam Philippi du Trieu multis auctæ.

Poſtea, nactâ occaſione, ſcriptum illud, à me ſic auctum atque publici juris factum, ad incudem denuò revocavi, multàq; in illo tranſpoſui, commutavi, reſcîdi, atque pluſquam dimidiâ parte (ſi materiam ſpectes) de novo auxi illud & locupletavi; ita ut

Compa-

Comparationem instituenti novum opus jure merito videatur; cùm vix quicquam prioris Libri, sc. Ph. du Trieu, *prout ab illo olim editi (præcipuè in secundâ & tertiâ parte) hîc immutatum relinquatur: & præterea, ultra* Methodum *in melius restitutam, & quamplurima huic editioni ubique interposita & adjecta, integri etiam tractatus jam primùm adduntur, sc.* De Ampliatione & Restrictione, *maximam partem ex* Sandersono; De Appellatione; De Æquipollentia; De Syllogismorum Proprietatibus; De Expositione; De Syllogismo Modali, Exponibili & Hypothetico, *sc.* Conditionali, Copulativo & Disjunctivo; De Prosyllogismo, Sorite & Dilemmate; De Demonstratione & De Methodo. *Ut nihil dicam de* Prædicamentorum *aliisque* Tabulis, *exceptâ unâ* Substantiæ; *de* Distinctione *Propositionum* Infinitarum *à* Negativis; *de* Comparatione *Propositionum* Modalium *cum* Puris *quoad* Quantitatem & Qualitatem, *sive quoad* Oppositionem, *ut & de* Oppositione Hypotheticarum & Exponibilium *earúmque* Resolutione; (*quæ Doctrina est omnino nova; qualis etiam est prædicta illa de* Syllogismis

Exponi-

Exponibilibus, *à nemine Logicorum, quod ſciam, ante me occupata vel prælibata*;) *de* Converſionis fundamento, *atque adeo de* Indefinitarum & Modalium Converſione; *De* Doctrinâ Syllogiſticâ *ſuis* Principiis & Regulis, *atque adeo de totâ arte* Syllogiſandi *quoad* Figurarum & Modorum *numerum &c. meliùs quàm olim & magis perſpicuè traditâ : cum infinitis aliis vel omnino novis, vel de novo additis, vel in novam & meliorem formam redactis*; & *quod præcipuum eſt*, Omnia Præcepta (*quantum fieri potuit,& Syſtematis pateretur brevitas*) ſuis Regulis & Axiomatis, vel tanquam Principiis vel tanquam Proprietatibus,ſtabiliuntur & confirmantur; *quod in nullo alio Logicæ Compendio* (*quale ſaltem videre mihi contigit*) *reperire potis es.*

Adeo ut duabus minimùm tertiis auctior hic evaſit Liber & locupletior prædicto illo Ph. du Trieu, & *in reliquâ parte multùm ſanè ab illo diverſus. Quem cùm toties evolveram,tamque diu exornâram & perpoliveram, donec animi mei ſententiæ reſponderet, tum demum in commodum tuum edere illum decrevi, eúmque jam omnibus ſuis numeris abſolutum tibi legendum hîc exhibeo. Vale.*

****

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ SYLLOGISTICA.

SYLLOGISMUS *fit ex* PROPOSITIONIBUS.

ΠΡΟΤΑΣΙΣ ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος. PROPOSITIO est oratio aliquid de aliquo affirmans vel negans. *Arist. l. 1. An. pr. c. 1.*

{ Aff: ut, *Homo est animal.*
{ Neg: ut, *Homo non est immortalis.*

Q. 1. Quot in Propositione reperiuntur? *R.* Tria, sc. SUBJECTUM, PRÆDICATUM & COPULA.

1. SUBJECTUM est id, quod ordine constructionis præcedit verbum *Est:* ut, *Homo*, in allatis exemplis.
2. PRÆDICATUM est id, quod ordine constructionis sequitur verbum *Est:* ut, *Animal*, &, *Immortalis*.
3. COPULA est verbum substantivum *Est*, conjungens Prædicatum cum Subjecto.

Q. 2. An tria ista semper ponantur in Propositione? *R. Semper ponuntur explicitè* vel *implicitè*.

Ponuntur *explicitè*, quando post verbum *Est* ordine constructionis nominativus sequitur: ut *in allat. exempl.*

Ponuntur *implicitè*, quando vel verbum *Est* non ponitur, vel post illud ordine constructionis nominativus non sequitur.

ut, { *Johannes ſtudet.*
Petrus orat Deum.
Hypocrita cupit videri juſtus.
Deus eſt.
Pecus eſt Melibœi. }

Ratio eſt, quia Prædicatum ſemper debet caſu convenire cum Subjecto. Unde ut *explicitè* ponantur, reſolvendum eſt verbum in participium & verbum ſubſtantivum *Eſt*, vel, ſi quid ſubintelligatur, illud addendum eſt:

ut, { *Johannes eſt ſtudens.*
Petrus eſt orans Deum.
Hypocrita eſt cupiens videri juſtus.
Deus eſt exiſtens.
Pecus eſt pecus Melibœi. }

Q. 3. Quot ſunt PROPOSITIONES in Syllogiſmo? R. Tres, ſc. MAJOR, MINOR & CONCLUSIO.

1. MAJOR PROPOSITIO eſt, quæ primo loco ponitur.

2. MINOR PROPOSITIO eſt, quæ ſecundo loco ponitur.

3. CONCLUSIO eſt, quæ ultimo poſita ſequitur notam illativam *Ergo*:

ut, { *Homo eſt animal* } Major,
{ *Rationale eſt homo*; ergo } Minor.
{ *Rationale eſt animal.* } Concluſio.

Q. 4. Quot ſunt TERMINI in Syllogiſmo? R. Tres, ſc. MAJOR, MINOR & MEDIUS TERMINUS.

1. MA-

1. MAJOR TERMINUS est Prædicatum Conclusionis: ut, *Animal.*

2. MINOR TERMINUS est Subjectum Conclusionis: ut, *Rationale.*

3. MEDIUS TERMINUS est, qui tam in Majore quam in Minore propositione ponitur, & non in Conclusione: ut, *Homo.*

Q. 5. Quot modis disponi possit MEDIUS TERMINUS? R. Tribus modis;

1. Ut sit Subjectum Majoris, & Prædicatum Minoris Propositionis; quæ vocatur PRIMA FIGURA:

ut, *Homo est animal.*
Rationale est homo. ergo
Rationale est animal.

2. Ut sit Prædicatum utriusque (Majoris & Minoris propositionis;) quæ vocatur SECUNDA FIGURA:

ut, *Animal est homo.*
Rationale est homo. ergo
Rationale est animal.

3. Ut sit Subjectum utriusque; quæ vocatur TERTIA FIGURA:

ut, *Homo est animal.*
Homo est rationalis. ergo
Rationale est animal.

quæ hâc Sententiâ continentur;

Sub: Præ: PRIMA. Bis Præ: SECUNDA. TERTIA bis Sub:

Q. 6. Quot sunt MODI SYLLOGISTICI? R. Novendecim (quorum 14 sunt DIREC-

RECTI, & 5 INDIRECTI) his versiculis comprehensi;

Fig. 1. BArbArA. CElArEnt. DArII. FErIO. (BArAlIpton. CElAntEs. DAbItIs. FApEsmO. FrIsEsO morum.)

2. CEsArE. CAmEstrEs. FEstInO. BArOcO.

3. DArAptI. FElAptOn. DIsAmIs. DAtIsI. BOcardO. FErIsOn.

Horum quinque, ad primam Figuram pertinentes, parenthesi inclusi, sunt INDIRECTI, id est, Minor Terminus de Majore prædicatur in Conclusione.

Ubi notandum est,

1. Quòd tres primæ Syllabæ cujusvis vocabuli denotant tres Propositiones Syllogismi; sc. prima MAJOREM, secunda MINOREM, &c.

2. Quòd quatuor vocales A.E.I.O. hoc modo significent; sc.

A. Propositionem universalem Affirmativam, seu de omnibus affirmat; cujus Signum est OMNIS: ut, *Omnis homo est animal.*

E. Propositionem universalem Negativam, seu de omnibus negat; cujus Signum est NULLUS: ut, *Nullus homo est irrationalis.*

I. Propositionem Particularem Affirmativam, seu de aliquibus affirmat; cujus Signum est ALIQUIS: ut, *Aliquis homo est animal.*

O.

O. Propositionem Particularem Negativam, seu de Aliquibus negat; cujus Signum est ALIQUIS NON: ut, *Aliquis homo non est immortalis.*

Juxta hoc Distichon;

Asserit A, Negat E; verum *Generaliter* ambæ:
Asserit I, Negat O; sed *Particulariter* ambo.

Exempla Syllogismorum in
MODIS cujusvis FIGURÆ.

Fig.
1. BAr- *Omnis homo est animal.*
bA- *Omne rationale est homo.* ergo
rA. *Omne rationale est animal.*
2. CE- *Nullum animal est homo.*
sA- *Omne rationale est homo.* ergo
rE. *Nullum rationale est animal.*
3. DA- *Omnis homo est animal.*
rAp- *Omnis homo est rationalis.* ergo
tI. *Aliquod rationale est animal.*

Quod si Major vel Minor propositio Syllogismi desit, vocatur ENTHYMEMA:
ut, *Omne rationale est homo.* ergo
Omne rationale est animal.

Cujus prior propositio dicitur ANTECEDENS, posterior CONSEQUENS; & Illatio Consequentis ex Antecedente dicitur ARGUMENTUM.

DE SYLLOGISMO HYPOTHETICO.

Q. 7. An præter nominatos dantur alii Syllogismi? R. Dantur alii, magis usitati,

li-

licet minus boni; qui vocantur HYPOTHETICI:

ut { *Si homo sit rationalis, homo est risibilis.*
Sed homo est rationalis. ergo
Homo est risibilis. }

Quorum Major propositio constat ex ANTECEDENTE & CONSEQUENTE:

ut, { *Si homo sit rationalis*, est ANTECEDENS.
Homo est risibilis, est CONSEQUENS. }

Q. 8. Quot sunt MODI syllogismorum HYPOTHETICORUM? R. Duo.

1. A positione ANTECEDENTIS ad positionē CONSEQUENTIS; *i.e.* cùm sumitur Antecedens pro Minore, & inde infertur Consequens pro Conclusione: ut *in al. Ex.* non contrà:

ut, { *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus movetur. Ergo *currit.* }

2. A Remotione CONSEQUENTIS ad remotionem ANTECEDENTIS, *i.e.* cùm sumitur oppositum Consequentis pro Minore, & inde infertur oppositum Antecedentis pro Conclusione:

ut, 1. { *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus non movetur. ergo *non currit.* }

2. { *Si Equus non movetur, non currit.*
Sed Equus currit. ergo *movetur.* }

Si

3. { *Si Simia non sit irrationalis, est homo.*
Sed Simia non est homo. ergo
est irrationalis. }

4. { *Si Simia sit rationalis, non est brutum.*
Sed Simia est brutum. ergo
non est rationalis. }

Non contra:

ut, { 1. { *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus non currit, ergo
non movetur. }

2. { *Si Equus non movetur, non currit.*
Sed Equus movetur. ergo
currit, } }

DE SYLLOGISMO DISJUNCTIVO.

Q. 9. An dantur adhuc alii Syllogismi usitati? *R.* Dantur DISJUNCTIVI:

ut, { *Aut dies aut nox est.*
Sed non est dies. ergo
est nox. }

Q. 10. Quot sunt MODI Syllogismorum DISJUNCTIVORUM? *R.* Est unicus tantum, sc:

A remotione *reliquarum* partium ad positionem unius.

ut, { *Aut pax est, aut bellum, aut induciæ.*
Sed neq; pax est, neq; bellum. ergo
sunt induciæ }

Non

Non contra: ut, { *Felix est vox masculini vel fœminini vel neutrius generis. Sed est vox masculini generis.* ergo *non est fœminini vel neutrius,* &c.

INSTITUTIONES LOGICÆ.

LOGICA (ſeu DIALECTICA) eſt ars inſtrumentalis, dirigens mentem noſtram in rerum cognitione.

Unde pro triplici mentis operatione, (ſc. APPREHENSIONE *ſimplici*, JUDICIO & DISCURSU) tres ſunt *Partes* Logicæ;

1. DE TERMINO SIMPLICI.
2. DE ENUNCIATIONE.
3. DE ARGUMENTATIONE.

Quarum prima primam, ſecunda ſecundam, & tertia tertiam mentis operationem dirigit.

PARS I.

DE TERMINO SIMPLICI.

ΟΡΟΣ ἐςιν εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται. TERMINUS eſt, in quem reſolvitur propoſitio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur. *Itaque in omni propoſitione ſunt duo Termini*, ſc. SUBJECTUM & PRÆDICATUM. *Ariſt. l. 1. An. pr. c. 1.*

Q. 1. Quare Subjectum & Prædicatum vocantur TERMINI? R. Quia sunt extrema propositionis, quæ illam terminant. Extrema enim cujusque rei vocari solent ejus Termini: ut in *Lineâ, primum* & *ultimum punctum* vocantur *Termini lineæ.*

Q. 2. An voces extra propositionem positæ sunt TERMINI? R. Non sunt propriè, quia non sunt extrema propositionis: vocantur tamen TERMINI, quia saltem aptæ sunt locum extremorum obtinere. *Sicut apud Grammaticos* Conjunctio *dicitur, licet nihil conjungat; quia ex vi suæ significationis apta est verba vel sententias conjungere.*

Terminus est SIMPLEX vel COMPLEXUS.

Terminus SIMPLEX est, qui simplicem habet significationem: ut, *Homo, Animal rationale,*

Terminus COMPLEXUS est, qui compositam habet significationem, id est, plura simul significat: ut, *Homo albus. Pluit*, Id est, cœlum vel nubes pluit.

Q. 3. An uterque hic Terminus ad primam partem Logicæ pertinet? R. Non, sed *simplex* tantùm; nam *complexus*, quia est Oratio, pertinet ad secundam.

Termini simplices hic spectantur vel *in se*, vel prout in certas rerum CLASSES dispositi sunt.

Ter-

Termini simplices in se spectati vel *separatim* vel *conjunctim* considerantur.

Terminus simplex separatim consideratus est SYNCATEGOREMATICUS, CATEGOREMATICUS vel MIXTUS.

Terminus SYNCATEGOREMATICUS est vox, quæ per se nihil significat; sed aliis juncta illis certum significandi modum tribuit: ut, *Omnis, nullus, utinam, apud*, &c. Quidam ex his dicuntur SIGNA, quia significant vocem, cui adjunguntur, sumi universaliter vel particulariter. Unde SIGNA sunt Universalia: ut, *Omnis, quilibet, nullus*, &c. vel Particularia: ut, *Aliquis, quidam, aliquis non*, &c. & utraq; vel Affirmativa: ut, *Omnis, aliquis*, &c. vel Negativa: ut, *Nullus, aliquis non*, &c.

Terminus CATEGOREMATICUS est vox, quæ per se aliquid significat, nec ullum includit Syncategorema: ut, *Homo, lapis*, &c.

Terminus MIXTUS est, qui Categorema & Syncategorema includit: ut, *Nemo*, id est, nullus homo. *Nusquam*, i. e. nullo loco.

Q. 4. An qui à Categoremate aliquo derivatur (ut *Hominis, doctè, sapienter*, &c.) est Terminus SYNCATEGOREMATICUS? *R.* Non, sed ad suum Categorema reducendus est.

Q. 5. An SYNCATEGOREMA propriè est Terminus? R. Non, quia per se non potest esse subjectum aut prædicatum propositionis, sed illis tantùm adjungi; cùm non sit *significativum*, sed *consignificativum.*

DE TERMINO CATEGOREMATICO.

Terminus CATEGOREMATICUS trifariam dividitur.

I. Prima *Divisio* Termini Categorematici est in RELATIVUM & ABSOLUTUM.

Terminus RELATIVUS est, qui significat respectum ad aliud: ut, *Pater*, *filius*, &c. Nam non potest intelligi *pater*, nisi ut respectum habens ad *filium*, sive ut *filii pater:* nec *filius*, nisi ut *patris filius*, &c.

Terminus ABSOLUTUS est, qui non significat respectum ad aliud: ut, *Homo*, *linea*, *albedo*, &c.

II. Secunda *Divisio* Termini Categorematici est in CONCRETUM & ABSTRACTUM: nec non in CONNOTATIVUM & ABSOLUTUM; DENOMINATIVUM & DENOMINANTEM, qui illis pæne æquivalent.

1. Terminus CONCRETUS est, qui significat Formam & Subjectum: ut, *Album.* Significat enim *Albedinem*, quæ est Forma; & *rem affectam albedine*, quæ est Subjectum ejus. Nam sic integrè redditur. *Album est res affecta albedine.*

Q. 6.

Q. 6. Quid hîc vocatur *Forma* & quid *Subjectum?* R. *Forma* hîc dicitur omne id, quod alteri Denominationem aliquam seu appellationem tribuit: ut, *Albedo* respectu lactis; quia dat illi denominationem albi. Et *Subjectum* hîc est omne id, quod ab altero denominationem aliquam seu appellationem suscipit: ut, *Lac* respectu albedinis; quia suscipit ab illâ denominationem albi.

Terminus Concretus est DENOMINANS INTRINSECE vel EXTRINSECE.

Terminus DENOMINANS INTRINSECE est, qui tribuitur ei, in quo est Forma per ipsum significata: ut, *Album*. Nam tribuitur lacti, nivi, papyro, *&c.* in quibus est *albedo.*

Terminus DENOMINANS EXTRINSECE est, qui tribuitur ei, in quo non est Forma per ipsum significata: ut, *Videri, visum esse*, &c. Nam tribuitur parieti, in quo Forma per ipsum significata, sc. *Visio*, non est, sed in oculo. Talia sunt omnia verba & participia passiva actiones animæ significantia: ut, *Audiri*, *intelligi, amari*; *Auditum, intellectum, amatum esse*, &c. Nam pecunia dicitur *amari*, cum *amor* non sit in pecunia, sed in animo amantis. Item pleraque verba & participia activa alias actiones significantia: ut, *Illuminare, calefacere*; *Illuminans, calefaciens*, &c. Nam ignis dicitur

calefacere aquam; cum *calefactio* non sit in igne, sed in aqua.

Terminus ABSTRACTUS est, qui solam Formam significat: ut, *Albedo*.

2. Terminus CONNOTATIVUS est, qui significat Formam quasi adjacentem: ut, *Album*, *dulce*, &c.

Q. 7. Quid est *significare Formam quasi adjacentem?* R. Est significare *Adjectivè*. Itaque sola Adjectiva, & quæ per modum adjectivorum significant (ut Relativa, *Dominus*, *servus*; *pater*, *filius*, &c.) sunt Connotativa.

Q. 8. Quotuplex *significatum* habet Terminus Connotativus? R. Duplex, *Materiale* & *Formale*. Significatum *materiale* est subjectum Formæ nomine Connotativo expressæ. Significatum *Formale* est ipsa Forma: ut, *Album* pro significato Materiali habet *rem affectam albedine*, v. g. *lac*; pro Formali, ipsam *Albedinem*.

Q. 9. An Terminus Connotativus significatum suum *Materiale* & *Formale* eodem modo significat? R. Non; nam Materiale significatur *in recto*: Formale *in obliquo*: Id autem significatur *in recto*, quod in explicatione Termini significantis ponitur in Nominativo casu; & id significatur *in obliquo*, quod ponitur in obliquo: ut, *Album* explicatur, *res affecta albedine*.

Q. 10.

Q. 10. Quid eſt igitur *Connotare*, & quid *Connotatum?* R. *Connotare* eſt, præter id quod in recto ſignificatur, aliquid importare in obliquo. *Connotatum* eſt id, quod in obliquo ſignificatur, ultra id quod importatur in recto: ut, *Pater* dicitur *connotare filium*, & *Filius*, *eſſe ejus connotatum*; quia *pater eſt is, qui genuit filium.*

Terminus ABSOLUTUS eſt, qui non ſignificat Formam quaſi adjacentem: ut, *Albedo*, *Lapis*, *Homo*, &c. Unde aliter hîc ſumitur, ac ut *Relativo* oppoſitus.

3. Terminus DENOMINATIVUS idem eſt, qui Connotativus; eſtque triplex.

1. *Voce tantùm*, qui cum aliquo Abſtracto convenit initio dictionis, ſed ab eo differt formali ſignificatione: ut, *Somnolentus*, reſpectu abſtracti *Somnus*, qui ſignificat *quietem naturalem*; at *Somnolentus*, *vitium*. Hic ad Grammaticam pertinet.
2. *Significatione tantùm*, qui cum aliquo abſtracto convenit tantùm ſignificatione, non voce: ut, *Dormiens* reſpectu abſtracti *Somnus*.
3. *Voce & ſignificatione ſimul* qui cum aliquo abſtracto convenit ſignificatione & initio dictionis, ſed ab eo differt finali terminatione: ut *Album* reſpectu abſtracti *Albedo*. Hic ſolùm definitur ab Ariſt. his verbis, *Ariſt.*

ΠΑΡΩΝΥΜΑ λέγεται ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα *Cat. c.* τῇ πτώσει, τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει. *I.*

DENOMINATIVA dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia casu, inde nominis appellationem habent.

Terminus DENOMINANS est abstractus Denominativo vel Connotativo respondens: ut, *Albedo.* Vocatur FORMA DENOMINANS.

Termino Denominativo & Denominanti respondet DENOMINATUS, qui est subjectum de quo Forma dicitur: ut, *Cygnus*, respectu *albi.* Vocatur SUBJECTUM DENOMINATIONIS.

III. Tertia Divisio Termini Categorematici est in SINGULAREM (seu INDIVIDUUM) & COMMUNEM.

DE INDIVIDUO.

Porph. Isag. c. 2. Sect. 27.

ἌΤΟΜΟΝ ἐστιν, ὃ ἐφ' ἑνὸς μόνου τοῦ κατὰ μέρος λέγεται.

INDIVIDUUM est, quod de uno solo particulari dici potest: ut, *Johannes*, *Petrus*, &c.

Q. 1. Quomodo *Johannes* est Individuum, cùm de pluribus dicatur? R. Est Individuum, quia ex se significat hunc solum singularem hominem, qui sic appellatur. Quod verò alii etiam eodem nomine conveniant, hoc est merè per Accidens, & præter institutionem propriorum nominum. Nec aliquid illis commune denotat; sed in significatione prorsus diversâ illis attribuitur. Adeo ut vox *Johannes* (& idem est de aliis similibus)

libus) quoad ſonum quidem multis communis ſit ; quoad ſignificationem verò uni propria ; proindéque ſit *Terminus ſingularis* : quia penes ſignificationem Termini attendendi ſunt.

Individuum eſt DETERMINATUM vel VAGUM.

Individuum DETERMINATUM eſt quod de uno certo particulari dicitur. Et exprimitur 4. Modis.

1. Per Nomen Proprium : ut, *Ariſtoteles.* Et dicitur Individuum Signatum ſeu *Determinatum* (ſc. ex Nomine)
2. Per Nomen Commune & Pronomen demonſtrativum : ut, *Hic homo.* Et dicitur Individuum *Demonſtrativum.*
3. Per Nomen Commune, quod κατ' ἐξοχὴν ſumitur pro Proprio : ut, *Philoſophus* pro Ariſtotele. *Orator* pro Cicerone, *&c.*
4. Per Periphraſin : ut, *Præceptor Alexandri*, *i. e.* Ariſtoteles. Et dicitur Individuum *Periphraſticum.* Hæc duo poſtrema vocantur Individua *ex Hypotheſi* ; quia factâ certâ ſuppoſitione tantùm dicantur de uno (cùm abſolutè ex vi ſignificationis ſuæ dici poſſint de multis) ut, *Philoſophus* & *Præceptor Alexandri* de Ariſtotele ; ſuppoſito, ibi ſermonem eſſe de Principe Philoſophorum ; Hic Alexandrum unum tantùm Præceptorem habuiſſe.

Individuum VAGUM eſt, quod de uno

particulari incerto (seu indeterminato) dicitur. Et exprimitur per Nomen commune & Pronomen particulare: ut, *Aliquis homo. Quidam equus*, &c.

Q. 2. An Individuum VAGUM sit propriè dictum Individuum? R. Absolutè loquendo non est; quia dici potest de multis: ut, *Quidam homo* de Johanne, Petro, *&c.* Vocatur tamen Individuum, quia unum quid per illud ordinariè designamus.

DE TERMINO COMMUNI.

Terminus COMMUNIS est, qui dici potest de multis divisim sumptis: ut, *Homo*, de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 1. Quid est *dici de multis divisim sumptis?* R. Est eorum singulis tribus seorsim: ut, *Johannes est homo. Petrus est homo*, &c. Non omnibus conjunctim: ut, *Populus* vel *Numerus* tribuitur Johanni & Petro, *&c.* cùm dico, *Johannes & Petrus & cæteri homines Dublinienses sunt populus* vel *numerus.* Hujusmodi dicuntur Termini COPULATIVI vel COLLECTIVI; suntque revera *singulares* (non *communes*) quia unam singularem seu particularem collectionem significant. Quatenus verò *populus* de *hoc* & *illo populo* dici potest, sic est Terminus COMMUNIS; quia multis collectionibus tribuitur. Et sic de cæteris.

Terminus Communis est ÆQUIVOCUS vel UNIVOCUS.

Terminus ÆQUIVOCUS est, qui pluribus tribuitur in diversâ significatione: ut, *Gallus* homini & avi. *Homo* vero & picto

Q. 2. Unde cognosci potest terminum aliquem *pluribus tribui in diversâ significatione*. R. Hinc, quòd varius conceptus ei respondeat in mente, prout uni & alteri attribuitur (*i. e.* quod ejus significata variè concipiantur) & hoc fit, quando diversæ explicationes illi debent adhiberi: ut, *Homini*, respectu veri & picti; quia ille est *animal rationale*; hic, *Figura & imago hominis*. Unde constat Terminum ÆQUIVOCUM non esse propriè *unum*, sed *multiplicem*, quia multiplicem habet significationem; adeóque revera non esse *Terminum communem*.

Terminus Æquivocus est PURE ÆQUIVOCUS vel ANALOGUS.

Terminus PURE ÆQUIVOCUS est, qui plura æquè primò significat: ut, *Canis*, domesticum, cœlestem & marinum; *Gallus*, hominem & avem.

Terminus ANALOGUS est, qui plura non æquè primò significat; sed unum primariò, alterum secundariò: ut, *Homo*, verum hominem primariò & propriè, pictum secundariò & impropriè significat.

Terminus Æquivocus dicitur ÆQUIVOCUM ÆQUIVOCANS, quod est nomen commune pluribus tributum in di-

versâ significatione. Huic respondent ÆQUIVOCA ÆQUIVOCATA, quæ sunt res plures, quibus idem nomen in diversâ significatione tribuitur: ut, *Domesticus*, *Cœlestis* & *Marinus* respectu Canis. Hæc sola definiuntur ab Arist: his verbis,

Arist. Categ. c. 1. sect. 1. ΟΜΩ'ΝΥΜΑ λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. ÆQUIVOCA sunt, quorum nomen solum commune est; ratio verò substantiæ nomini accommodata diversa, *i.e.* sunt entia plura, quibus tribuitur idem nomen, sed ita ut definitio seu explicatio nominis sit diversa.

Terminus UNIVOCUS est, qui pluribus tribuitur in eadem significatione: ut, *Homo*, Johanni, Petro, *&c.*

Q. 3. Unde cognosci potest Terminum aliquem *pluribus tribui in eadem significatione?* R. Hinc quod idem conceptus ei semper in mente respondeat (*i. e.* quòd ejus significatum eodem modo semper concipiatur) & hoc fit, quando eadem explicatio semper illi possit accommodari: ut, *Homini*, respectu Johannis, Petri, *&c.* quia semper explicatur per *animal rationale.* Hoc accidit, quoties idem nomen pluribus imponitur, ad illud significandum, in quo conveniunt.

Terminus Univocus dicitur UNIVOCUM UNIVOCANS, quod est nomen commune

ne pluribus tributum in eadem significatione. Huic respondent UNIVOCA UNIVOCATA, quæ sunt res plures, quibus idem nomen in eadem significatione tribuitur: ut, *Johannes* & *Petrus*, respectu hominis. Hæc sola definiuntur ab Arist: his verbis.

ΣΥΝΩΝΥΜΑ λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός. UNIVOCA dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem, *i. e.* sunt Entia plura, quibus tribuitur idem nomen, ita ut definitio seu explicatio nominis semper maneat eadem. *Arist: categ: c. 1. sect. 2.*

Terminus Univocus est propriè *Communis*, & dicitur UNIVERSALE vel PRÆDICABILE.


DE PRÆDICABILIBUS.

ΚΑΘΟΛΟΥ ἐστὶν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι UNIVERSALE (seu PRÆDICABILE) est, quod suâ naturâ aptum est prædicari de pluribus: ut, *Homo*, respectu Johannis & Petri, *&c.* Licet enim dicere *Johannes est homo. Petrus est homo*, &c. *Arist. de Interp. c. 7. sect. 1.*

Q. Quare dicitur *aptum est prædicari*; & non potiùs, *prædicatur?* R. Quia non est necesse, ut actu prædicetur UNIVERSALE (hoc enim constituit PRÆDICATUM)


TUM) ſed ſatis eſt, quod aptum ſit prædicari; ut fit, dum ponitur extra Propoſitionem; aut in ea tenet locum Subjecti; vel unicum ſolum Individuum habet: ut, *Sol*, *Luna*, &c. & *Homo*, cùm ſolus Adam creatus fuerit.

Univerſale ſeu *Prædicabile* eſt quintuplex, ſc. GENUS, SPECIES, DIFFERENTIA, PROPRIUM & ACCIDENS; quorum numerus ex modo prædicandi ſic colligitur.



ARBOR

ARBOR PORPHYRIANA
Seu potius
Linea Prædicamentalis.



Porph. Isag. c. 2. Arist. l. I. Top. c. 5.

DE GENERE ET SPECIE.

ΓΕΝΟΣ ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. GENUS est, quod de pluribus *specie* differentibus prædicatur in *Quid:* ut, *Animal* de Homine & Bruto; & sic reliqua superiora in linea prædicamentali. Post Copulam hîc intelligitur *Universale*, ut sit; *Genus est universale, quod, &c.* quod & in Definitionibus aliorum Prædicabilium intelligendum e

Q. 1. Quæ per *specie differentia* hîc intelliguntur? R. Species differentes, *i. e.* quæ sunt diversæ naturæ seu essentiæ: ut, *Homo* & *Brutum* sub animali, *&c.*

Q. 2. Quid est *prædicari in Quid?* R. Est esse prædicatum propositionis, per quam respondetur quæstioni factæ per *Quid:* ut si quæratur, *Quid est homo?* Respondetur, *Homo est animal.*

Porph. Isag. c. 2.

ΕΙΔΟΣ ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. SPECIES est, quod de pluribus *numero* differentibus prædicatur in *Quid:* ut, *Homo*, de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 3. Quæ hîc dicuntur *differentia numero?* R. Quæ sic tantùm distinguuntur, ut faciant numerum: ut, *Johannes* & *Petrus*, qui faciunt numerum binarium. Unde hac Definitione excluditur Genus comparatum ad Species diversas aut ad earum Individua: ut, *Animal* ad *Hominem* & *Brutum*, & ad *Johannem* & *Bucephalum*, quæ qui-

quidem differunt numero, ſed non tantùm.

Q. 4. Quomodo Species *prædicatur de numero differentibus?* R. *Immediatè* ac *de iis ſolis.* Nam Genus prædicatur de illis *mediatè:* ut, *Animal* de *Johanne* & *Petro* mediante *homine*; nec tamen de iis ſolis.

Huic ſpeciei *Prædicabili* ſubjungitur *Subjicibilis.*

Εἶδός ἐστι τὸ τεταγμένον ὑπὸ τὸ γένος, καὶ οὗ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται. *Ibid.* Species (*Subjicibilis*) eſt, quæ ſubjicitur Generi, & de qua Genus prædicatur in *Quid:* ut, *Homo*, reſpectu Animalis. Et ſic de reliquis aſcendendo in linea Prædicamentali.

Q. 5. Quomodo Species *ſubjicitur Generi?* R. *Directè* & *Immediatè.* Nam Differentiæ ſubjiciuntur *indirectè* & *collateraliter*; ut, *Rationale* & *Irrationale* Animali: Et Individua *mediatè*; ut, *Johannes* & *Petrus* eidem, mediante Homine. At ſola Species *directè* & *immediatè* ſubjicitur.

Genus in *Summum* & *Subalternum*, & Species in *Infimam* & *Subalternam* dividitur.

Γένος γενικώτατόν ἐστιν, ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ἐπαναβεβηκὸς γένος. *Ibid.* Genus *generaliſsimum* (ſeu *ſummum*) eſt, quo non eſt aliud ſuperius Genus: ut, *Subſtantia.* Genera

nera summa sunt decem, sc. SUBSTANTIA, QUANTITAS, QUALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS.

Ibid. Εἶδος εἰδικώτατόν ἐστι, μεθ' ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ὑποβεβηκὸς εἶδος. Species *specialissima* (seu *Infima*) est, quâ non est alia inferior Species: ut, *Homo*. Species Infimæ sunt in certo numero; sed nobis incognito.

Ibid. Γένη καὶ εἴδη ὑπάλληλά ἐστιν, ἃ καὶ γένη καὶ εἴδη ἐστὶ τὰ αὐτά, πρὸς ἄλλο μέν τοι καὶ ἄλλο λαμβανόμενα: Genera & Species *Subalterna* sunt, quæ eadem & Genera sunt & Species; ad aliud tamen atque aliud relata. Respectu *Inferiorum* quidem Genera; respectu *Superiorum* verò Species: ut, *Corpus*, *Vivens*, *Animal*.

DE DIFFERENTIA.

Porph. Isag. c. 3. ΔΙΑΦΟΡΑ ἐστὶ, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἐστι κατηγορούμενον. DIFFERENTIA est, quod de pluribus *specie* (vel *numero*) differentibus prædicatur in *Quale quid*: ut, *Sensitivum* de Homine & Bruto; *Rationale* de Johanne, Petro, *&c.*

Q. 1 Quid est *prædicari in Quale Quid?* R. Est esse prædicatum propositionis, perquam respondetur quæstioni factæ per *Quale quid*, sive, *Qualis est res secundùm essen-*

essentiam : ut, si quæratur, *Qualis est homo secundùm essentiam?* Respondetur, *Homo secundùm essentiam est sensitivus.*

Q. 2. Cur Definitioni Porphyrianæ additur, *vel numero?* R. Ut omnibus differentiis conveniret; quia quædam de pluribus solo numero differentibus prædicantur: ut *Rationale* de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 3. Quare has Differentias in suâ Definitione non inclusit *Porphyrius?* R. Quia nullas hujusmodi Differentias *Simplices* agnovit; sed tantùm *Complexas* : ut, *Rationale-mortale*, *Rationale-immortale*, *&c.* quæ non pertinent ad Prædicabilia; quia Prædicabilia sunt *Termini simplices.*

Differentia est *Divisiva* vel *Constitutiva.*

Διαφοραὶ διαιρετικαὶ εἰσι, καθ' ἃς τὰ γένη εἰς τὰ εἴδη διαιροῦμεν. Differentiæ *Divisivæ* sunt, quibus Genera in suas species dividimus: ut, *Corporea* & *Incorporea* respectu Substantiæ; & cæteræ respectu Generum, quibus indirectè supponuntur. *Ibid.*

Διαφοραὶ συστατικαὶ εἰσι, καθ' ἃς τὰ διαιρεθέντα εἰδοποιεῖται. *Ibid.*

Differentiæ *Constitutivæ* sunt, quibus divisa specificantur, *i. e.* quæ constituunt species: ut, *Corporea* corporis, *Incorporea* spiritûs respectu; reliquæque respectu Specierum, quibus indirectè superponuntur.

Q. 4. An omnis Differentia *Divisiva* sit etiam *Constitutiva*, & contra? R. Ita, sed respectu diversorum; *Divisiva* quidem Generis; *Constitutiva* verò speciei sub illo con-

contentæ. Unde *Dividere Genus* & *Constituere speciem* sunt tantùm diversa munera ejusdem Differentiæ.

Differentia Constitutiva est *Generica* vel *Specifica*.

Differentia *Generica* est, quæ constituit Speciem subalternam: ut, *Corporea*, *Animatum*, *Sensitivum*.

Q. 5. Cur vocatur *Generica*? R. Quia constituit id, quod est *Genus*; alio tamen respectu. Nam prout constituitur, respicit Superiora (unde Differentiam suam mutuatur) idem verò respectu Inferiorum est *Genus*.

Differentia *Specifica* est, quæ *proximè* constituit Speciem Specialissimam: ut, *Rationale*.

Q. 6. Quare dicitur *proximè*? R. Quia Differentia Generica *remotè* constituit Speciem specialissimam. Est enim *Regula*;

Differentia dividit ascendendo, & constituit descendendo, non contra. Sive, Differentia Divisiva Inferioris est Divisiva Superiorum; & Constitutiva Superioris est Constitutiva Inferiorum; sed remotè; non contra: ut, *Rationale*, quod *Animal*, etiam *vivens*, *Corpus*, *Substantiam* dividit; & *Corporea*, quæ *Corpus*, etiam *vivens*, *Animal*, *Hominem* constituit. Hinc Genera *Subalternatim* (*i. e.* in in eadem lineâ rectâ) posita habent easdem Differentias, tam Divisivas, quàm Constitutivas. *No-*

Nota Differentiam Specificam aliquando latè sumi, ut etiam comprehendat Genericam; quia constituit Speciem Subalternam.

DE PROPRIO.

PROPRIUM 4. Modis accipitur.

1. Ὃ μόνῳ τινὶ εἴδει συμβέβηκεν, εἰ καὶ μὴ παντί. Porph. Isag. c. 4.

Quod soli alicui Speciei accidit, etsi non omni, *i. e.* non omnibus ejus Individuis: ut, Homini *esse Medicum.*

2. Ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ.

Quod omni accidit Speciei; etsi non soli: ut, Homini esse *bipedem*, i. e. *aptum habere duos pedes.*

3. Ὃ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ποτὲ. Quod soli, & omni, & aliquando [*accidit:*] ut, Homini *canescere* (sc. in senectute)

4. Ἐφ' οὗ συνδεδράμηκε καὶ τὸ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί. In quo concurrunt & soli, & omni, & semper [*accidere:*] ut, Homini *esse risibilem*; Equo *esse hinnibilem:*

Q. 1. Quid in his Definitionibus est *accidere?* R. Est convenire non essentialiter. Unde excluditur *Differentia.*

Q. 2. Quomodo accipitur *Proprium*, ut est *quartum Prædicabile?* R. Quarto modo; quod sic definitur.

PROPRIUM est, quod de pluribus specie vel numero differentibus prædicatur in *Quale accidentale necessariò*, (Prædicatio in *Quale Accidentale* absolutè dicitur in *Quale*

Quale) Ab Arist. sic definitur,———
Arist. l. Ἴδιόν ἐστιν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ'
1. *Top.* ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος.
c. 4. PROPRIUM est, quod non declarat quid
sect. 5. res sit, soli autem inest, & conversim de ea prædicatur. Unde est *Inseparabile* à sua specie, & *Incommunicabile* alteri.

Proprium est *Genericum* vel *Specificum*.

Proprium *Genericum* est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus: ut, *Mobile* (quod est proprium *Corporis*) de *Vivente* & *non-vivente*.

Proprium *specificum* est, quod prædicatur de pluribus solo numero differentibus: ut, *Risibile* (quod est proprium *Hominis*) de *Johanne*, *Petro*, &c.

DE ACCIDENTE.

Porph. Συμβεβηκός ἐστιν, ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς
Isag c. 5. τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς. ACCIDENS est, quod adest & abest sine Subjecti corruptione, *i. e.* quod potest convenire & non convenire alicui sine ejus destructione: ut, *Albus* parieti, *&c*.

Q. 1. Quare dicitur, *potest convenire & non convenire?* R. Quia falsum est, quòd Accidens actu adsit & absit; hæc enim repugnant: sed aptum est ut adsit & absit.

Q. 2. Cur additur, *sine Subjecti corruptione?* R. Quia cætera Prædicabilia possunt ab-

esse

esse à subjectis suis *cum illorum interitu ?* ut, *Animal* ab Homine, destructo illo.

Accidens est *Separabile* vel *Inseparabile.*

Accidens *Separabile* (χωριστὸν) est, quod actu abesse potest à Subjecto suo: ut, *Niger* ab Æthiope.

Q. 3. Quomodo datur Accidens *Inseparabile*, cùm omne Accidens possit *abesse à Subjecto suo ?* R. Omne Accidens potest *abesse Mente*; sed datur aliquod, quod non potest *abesse reipsa*; & illud dicitur *Inseparabile.*

Q. 4. Quid est *abesse Mente ?* R. Est negari de Subjecto, salvâ in mente ejus essentiâ: ut etiamsi negetur *Niger* de *Æthiope*; non tamen in mente destruetur *Æthiopis Essentia.*

Q. 5. Quare *Proprium* non potest sic abesse; cùm non sit de essentiâ Subjecti? R. Quia emanat ab ejus essentiâ, illam necessariò consequens. Unde sublato Proprio tollitur essentia: juxta Dictum, *Qui tollit Proprietates, tollit Essentiam.*

Tandem Accidens, ut Prædicabile, sic definitur,

ACCIDENS est, quod de pluribus specie vel numero differentibus prædicatur in Quale Accidentale contingenter: ut, *Albus* dicitur contingenter de *Homine*, *pariete*, *lapide*, &c. nam possunt esse *nigri*; &

actus ridendi de *Johanne*, *Petro*, &c. nam possunt *non ridere*.

Hactenus de Terminis simplicibus *separatim* consideratis, quantum ad præsens institutum sufficiat.

Termini simplices *conjunctim* considerantur, quatenus sunt inter se *comparati* quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* vel quoad *Ordinem*.

Termini quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* comparantur 4. modis; sc. ut *Convertibiles*; ut *Repugnantes*; ut *Magis & minus Communes*; ut *Excedentes & Excessi*.

Termini CONVERTIBILES sunt, quorum utervis totum alterum includit; seu, Qui de seinvicem universaliter affirmari possint: ut, *Homo* & *Risibile*. Nam, *Omnis homo est risibilis*, &, *Omne risibile est homo*.

Termini REPUGNANTES sunt, quorum neuter aliquid alterius includit, seu, Qui de seinvicem universaliter negari possint: ut, *Homo* & *Brutum*. Nam, *Nullus homo est brutum*; &, *Nullum brutum est homo*. Aliter, REPUGNANTIA sunt, quæ de eodem singulari simul verè affirmari non possunt: ut, *Album* & *nigrum*.

Q. Quot *Conditiones* requiruntur ad veram Repugnantiam? *R*. Quatuor; sc. ut Termini sumantur. 1. κατὰ τὸ αὐτὸ, *secun-*

cundùm idem. i. e. eandem partem & naturam: ut *Esse album & nigrum*, secundùm eandem partem Æthiopis; *fuisse* & *non fuisse mortuum*, secundùm eandem naturam Christi. 2. πρὸς τὸ αὐτό, *Ad idem.* i. e. eodem respectu: ut, *Esse duplum* & *dimidium* respectu ejusdem magnitudinis. 3. Ὡσαύτως. eodem modo; ut, *Habere* & *non habere principium.* sc. durationis. 4. Ἐν αὐτῷ τῷ χρόνῳ, respectu ejusdem temporis: ut, *Esse calidum* & *frigidum* simul. Aliàs non repugnant. *Arist. Soph. Elench. c. 5.*

Repugnantia sunt DISPARATA vel OPPOSITA.

DISPARATA sunt, quæ non præcisè repugnant, *i. e.* sunt Repugnantia, quorum unum tertio æquè vel magis repugnat eodem repugnandi modo: ut, *Homo* & *Equus*; *Album* & *Rubrum.* *Homo* enim æquè repugnat *Leoni* ac *Equo*, *Album* verò magis *Nigro*, quàm *Rubro*.

DE OPPOSITIS.

OPPOSITA (τὰ ἀντικείμενα) sunt, quæ præcisè repugnant. *i. e.* sunt Repugnantia, quorum neutrum tertiò æquè vel magis repugnat eodem repugnandi modo: ut, *Album* & *Nigrum*; *Servus* & *Liber.* *Album* enim nulli tam repugnat, quam *Nigro*; nec vice versâ: & *Servus* æquè repugnat *Domino* ac *Libero*; sed diverso re-

repugnandi modo.

Opposita sunt RELATIVA, CONTRARIA, PRIVATIVA & CONTRADICTORIA.

Q. 1. Unde colligitur ista Divisio? *R:* Ex modis generalibus opponendi, quibus

Ens opponitur
- Enti
  - Relativo: ut, *Pater Filio*; quæ sunt RELATIVE OPPOSITA.
  - Absoluto: ut, *Album nigro*; quæ sunt CONTRARIA.
- Non Enti
  - Privativo: ut, *Visus cæcitati*; suntque PRIVATIVE OPPOSITA.
  - Negativo: ut, *Homo non homini*: suntque CONTRADICTORIA.

Arist. Cat. c. 10.

I. Ὅσα οὖν ὡς τὰ πρός τι ἀντίκειται, αὐτὰ ἅπερ ἐστι τῶν ἀντικειμένων λέγονται, ἢ ὁποσοῦν ἄλλως πρὸς αὐτά. RELATIVE OPPOSITA sunt, quæ, id ipsum quod sunt, oppositorum esse dicuntur, aut alio aliquo modo ad illa, *i. e.* ad Opposita genitivo vel alio casu expressa referuntur: ut, *Pater* & *Filius*; *Majus* & *minus*; & omnia Correlativa. Nam *Pater est filii pater*; & contra: &, *Majus est minore majus*; & contra.

Q. 2. Quomodo Correlativa sunt Opposita, cùm se mutuò ponunt? *R.* Correlativa considerantur dupliciter. 1. Quatenus tri-

tribuuntur diversis; ut, Pater *Anchisæ*, & Filius *Æneæ*: & sic se mutuò ponunt, quia non est Pater, nisi habet Filium. 2. Quatenus tribuuntur eidem respectu ejusdem; ut, Pater & Filius *Anchisæ* respectu *Æneæ*: & sic se tollunt; quia idem non potest esse Pater & Filius ejusdem. Priori modo postea in Prædicamentis; posteriori hîc spectantur.

Q. 3. Cur dixisti *respectu ejusdem?* R. Quia si tribuantur eidem respectu diversorum (ut, Pater & Filius *Anchisæ*, respectu *Capis* & *Æneæ*) non erunt Opposita ob defectum secundæ Conditionis Repugnantium; ut nec quæ primo modo sumuntur, ob defectum primæ.

II. Τὰ ἐναντία ἐστὶ τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν *Arist.*
ἐν τῷ αὐτῷ γένει. CONTRARIA sunt, quæ *Cat.c.*
sub eodem genere posita maximè à se in- 10.
vicem distant, (& eidem subjecto susceptivo vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura) ut, *Album* & *Nigrum*.

Q. 4. Quot sunt *Conditiones* Contrariorum? R. Quatuor in eorum definitione contentæ. 1. Ut sint sub eodem genere, sive proximo sive remoto. Hinc excluduntur *Privativè opposita* & *Contradictoria*. 2. Ut sub illo genere maximè distent. *i. e.* præcisè repugnent. Hinc excluduntur *Disparata*. 3. Ut eidem subjecto vicissim insint: ut, *Calor* & *Frigus*, eidem aquæ.

Hinc

Hinc excluduntur *Relativè opposita*. 4. Ut ab illo subjecto se mutuò expellant: ut, *Calor* expellit *Frigus* ab aqua, & contra.

Q. 5. Cur additur in Definitione, *nisi alterum insit à natura?* R. Quia tunc necesse non est, ut vicissim insint; ideoque unum non debet alterum expellere (quia nil propriè expellitur ex alio, nisi aliquando fuerit in illo) ut, *Calor* & *Frigus* non insunt vicissim *igni*, nec ex eo se expellunt; quia *calor* inest à natura, estque ab illo inseparabilis.

Ibid. c. 10. Contraria sunt *Mediata* vel *Immediata*.

Contraria *Mediata* (ὧν ἐστί τι ἀνὰ μέσον) sunt, quibus aliquid est intermedium utriusque particeps; sive, quorum utrumque abesse potest à subjecto capaci (nisi alterum insit à natura) ut, *Album* & *Nigrum*; *Calidum* & *Frigidum*, &c. Datur enim subjectum capax, quod nec est album nec nigrum, sed particeps utriusque: ut, *Pannus ruber* vel *viridis*, &c. Item, quod nec sit calidum nec frigidum; sed aliquid utriusque in se habet: ut, *Aqua tepida*.

Contraria Immediata (ὧν οὐδὲν ἐστιν ἀνὰ μέσον) sunt, quibus nihil est intermedium utriusque particeps: sive, quorum alterum necesse est inesse subjecto capaci: ut, *sanum* & *ægrum*; *par* & *impar*, &c. Quia nullum datur *animal*, quod nec sit *sanum* nec

nec *ægrum*, sed utriusque particeps. Item, nullus *numerus* nec *par* nec *impar*.

Q. 6. Cur additur, *subjecto capaci?* R. Quia dari potest subjectum incapax, cui neutrum Contrariorum immediatorum insit; sive, de quo utrumque negari possit: ut, *Lapis* ad sanum & ægrum comparatus, quod vocatur *Medium Negationis* sive Subjecti; quia est subjectum, de quo negatur utrumque extremum; & inter omnia Opposita, præter *Contradictoria*, reperitur. Alterum vocatur *Medium Participationis* sive Formæ; quia de utrâque contrariâ Formâ participat: ut, *Tepor* de *calore* & *frigore*; *Rubedo* de *albedine* & *nigredine*. Et de hoc Medio intelligitur divisio Contrariorum.

III. PRIVATIVE OPPOSITA sunt Habitus & illius Privatio: ut, *Visus* & *Cæcitas*. *Ibid.*

Q. 7. Quid hîc vocatur *Habitus?* R. Quævis Forma, quæ haberi debet hîc dicitur (ἕξις) Habitus: ut, *Visus* respectu hominis.

Q. 8. Quid est *Privatio?* R. PRIVATIO (στέρησις) est absentia Formæ debitæ à subjecto capaci, tempore ac loco à naturâ determinatis: ut, *Cæcitas*, respectu hominis.

Q. 9. Cur dicitur, *à subjecto capaci?* R. Quia absentia Formæ à Subjecto incapaci non est

est Privatio, sed pura NEGATIO: ut, *Lapis* non dicitur *privatus visu* aut *cæcus*; sed *non videns*.

Q. 10. Cur additur, *tempore ac loco à natura determinatis?* R. Quia absentia Formæ à Subjecto ante tempus vel extra locum à natura determinatum ad eam habendam, non est Privatio sed mera NEGATIO: ut, *Catulus ante nonum diem*, aut *Homo in loco tenebroso existens*, non est *cæcus*, sed tantùm *non videns*; nec *Urinator sub aqua* est *surdus*, sed *non audiens*; quia natura pro idoneis visui & auditui tempore ac loco hæc non designavit.

Q. 11. Quare superadditur, *Formæ debitæ?* R. Ut Privatio *Logica* distingueretur à *Physica*, quæ est absentia Formæ, (non quæ debet; sed solùm) quæ potest inesse Subjecto, eamque præcedit: cùm Privatio Logica Formam, vel naturalem aptitudinem ad eam, sequatur.

IV. CONTRADICTORIA sunt, ὅσα ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντίκειται, quæ ut affirmatio & Negatio opponuntur: ut, *Homo & non homo*; *Album & non album*. Terminus Negativus in Contradictoriis, vel *expressè* negat; ut in all. ex: vel *implicitè* tantùm, cùm alterius negationem involvit; ut, *Homo irrationalis*, quod idem est, ac *Homo non homo*; quia irrationale non est homo. Sic *Corpus unum in pluribus locis* seu *ubique*, idem est ac *Corpus non*

Ibid.

non corpus. Hæc vocatur *Implicatio Contradictionis*; *Contradictio in adjecto*; *Oppositum in apposito.*

Contradictoriorum *Proprietates* sunt duæ.

1. Ἀντίφασις ἐστιν ἀντίθεσις, ἧς οὐκ ἔστι μεταξὺ καθ' αὑτήν. *Contradictio est oppositio medio per se carens*, sive, Inter Contradictoria non datur medium, neque Participationis neque Negationis (unde, *Alterum Contradictoriorum verificatur de omni Ente & Non Ente*) Nil enim est *& homo & non homo*; aut, *nec homo, nec non homo.*

2. *Contradictio est Oppositionum maxima, prima & reliquarum mensura. Maxima*, quia caret omni medio. *Prima*, quia ipsa nullam, at aliæ omnes (etiam *Disparata*) illam præsupponunt; in cæteris enim includitur, & nullam includit. Nam ideo *Filius Patri* opponitur Relativè, quia *Filius est non Pater*; *Nigrum albo* Contrariè, quia *nigrum est non album*, &c. Et hinc est *Reliquarum mensura*; nam primum in unoquoque genere est, mensura reliquorum, & eo censetur major repugnantia, quo ad Contradictionem, quæ maxima est, magis accedit.

Hæc de Terminis *Repugnantibus.*

Termini MAGIS & MINUS COMMUNES sunt, quorum unus totum alterum includit; sed non contra: sive, quorum unus potest de altero universaliter affirmari, at non alter vicissim de illo, sed particula-

lariter tantùm: ut, *Animal* est terminus magis communis, quam *homo*; quia *omnis homo est animal*; at *non omne animal est homo*, sed *aliquod* tantùm.

Termini EXCEDENTES & EXCESSI sunt, quorum uterivis aliqnod alterius includit, sed neuter totum; sive, quorum neuter de altero potest universaliter affirmari vel negari, sed particulariter tantùm: ut, *Homo* & *albus*. Nam *Nec omnis homo est albus*, *nec omne album est homo*, sed *aliquod* tantùm. Dicuntur *Excedentes* & *Excessi*, quia se mutuò excedunt & exceduntur. Nam uterque de eodem affirmari potest; ut, de *Anglo*; & alteruter de aliquo, de quo alter non potest; ut, *Homo* de Æthiope, de quo non *albus*; & *Album* de Cygno, nive, papyro, *&c.* de quibus non *homo*.

Sic de Terminis quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* comparatis.

Termini comparantur quoad *Ordinem* quatenus unus alio *Prior*, aut *Posterior*, vel *Simul* cum eo dicitur.

DE MODIS PRIORIS, POSTERIORIS & SIMUL.

PRIUS unum alio dicitur quinque Modis.

Arist. Categ. c. 12.

1. *Tempore*, καθ' ὃ πρεσβύτερον ἕτερον ἑτέρου καὶ παλαιότερον λέγεται, secundùm quod aliquid altero

vetustius & antiquius dicitur; sc. πρεσβύτερον si sit res animata; ut, *Pythagoras Socrate*; παλαιότερον, si inanimis aut factum: ut, *Bellum Trojanum Punico.*

2. *Naturâ*; idque dupliciter,

Primò *Causalitate*, ὁ τῶν ἀντιστρεφόντων κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, αἴτιον ἐστιν ὁπωσοῦν θατέρῳ τοῦ εἶναι, quod, cùm secundùm existendi consecutionem reciprocetur, quomodocunque causa est, cur alterum sit. Ideo prior effectu est Causa Reciproca (*i. e.* quæ ab effectu infertur, & vicissim illum infert:) ut, *Ortus Solis die*, *Rationale risibili.* Nam sequitur, *Ortus est Sol*; ergo est *dies*; & contra. *Est rationale*; ergo *est risibile*, & contra.

Secundò *Consecutione*, ἀφ' οὗ μὴ ἀντιστρέφει ἡ τοῦ εἶναι ἀκολούθησις, id, à quo non reciprocatur existendi consecutio, *i.e.* quod ab altero infertur, sed non vicissim illud infert: ut, *unum duobus*; quia sequitur, *Sunt duo*; ergo *est unum*; non contra. Sic omnis Terminus magis communis prior est Minùs communi; ut, *Animal homine*; & Causa non reciproca suo effectu: ut, *Deus Creaturâ*; *Ferrum gladio*, &c.

3. *Dispositione*, κατά τινα τάξιν τὸ πρότερον λέγεται, quod ordine alterum præcedit, id prius eo dicitur: ut, *Exordium narratione.*

4. *Dignitate*, τὸ βέλτιον καὶ τὸ τιμιώτερον πρότερον τῇ φύσει δοκεῖ, quod dignius est & præstantius, id prius naturâ suâ videtur, sive in se, sive

five nostrâ tantùm æstimatione tale sit: ut, *Anima corpore*; *Amici alienis*. Quod enim pluris facimus, hoc apud nos prius & antiquius dicitur.

5. *Cognitione*, τὸ γνωριμώτερον, quod est notius seu noscibilius, idque bifariam, 1. ἁπλῶς, *simpliciter* seu *secundùm naturam*. Sic naturâ priora sunt notiora *naturâ*; atq; etiam *nobis*, cognitione distinctâ & perfectâ: ut, *Universalia singularibus*; *Partes toto*; *Causæ effectibus*; &c. 2. κατά τι, *secundùm quid* seu *respectu nostri*. Sic naturâ posteriora, sensibusque nostris propinquiora, sunt notiora *nobis* cognitione confusâ & imperfectâ: ut, *Singularia universalibus*; *Totum partibus*; *Effectus causis*; &c.

Tot modis dicitur *Posterius*, quot *Prius*; quia non est Prius sine Posteriori; cùm omne Prius dicatur respectu Posterioris.

SIMUL unum cum alio dicitur duobus modis.

Arist. Categ. c. 13. 1. *Tempore*, ὧν ἡ γένεσις ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, quorum productio est in eodem tempore: ut, *quæ simul nascuntur*. Secundariò etiam quorum unum incipit, antequam alterum desinit; quales sunt *Cυγχρονοι Contemporanei*: ut, *Aristoteles* & *Plato*.

2. *Naturâ*; idque dupliciter

Primò, *Consecutione*, ὅσα ἀντιστρέφει μὲν κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, μηδαμῶς δὲ αἴτιον θάτερον θατέρῳ τοῦ εἶναί ἐστι, quæ reciprocantur quidem secundùm

dùm exiſtendi conſecutionem, neutrum verò cauſa eſt, cur alterum ſit, *i. e.* quæ ex ſe mutuo inferuntur, ſed neutrum eſt cauſa alterius: ut, *Dominus* & *ſervus*; *Pater* & *Filius*; & omnia Correlativa. Nam *ſi eſt Dominus*, *eſt ſervus*. *Si Pater*, *Filius*, &c., & contra.

Q. Quomodo hoc verum eſt, cùm *Pater ſit cauſa Filii? R.* Pater, quà homo, eſt cauſa Filii, quà hominis, atque prior eò, non tantùm naturâ, ſed & tempore; at non quà Pater, h. e. *Paternitas* non eſt cauſa *Filiationis*, nec eâ prior ullo modo. Neque enim priùs aliquis eſt Pater, quàm alter eſt Filius; ſed Simul v. g. *Philippus eſt pater Alexandri*, &, *Alexander eſt filius Philippi.*

Secundò *Diviſione*, τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα ἀλλήλοις, quæ ex eodem genere ſibi invicem in Diviſione opponuntur, cujuſmodi ſunt duæ proximæ Species ejuſdem Generis: ut, *Homo* & *Brutum*. Dicuntur verò *ſimul Diviſione*, quia idem Genus æqualiter dividunt & participant: ut, *Brutum æquè perfectè dividit & participat animal, ac Homo.* Nec enim prius *Homini*, & illius gratiâ *Bruto*; ſed æquè & immediatè utrique convenit *Animal*; quia unum illorum ab altero non dependet. Secùs ac in *Analogis*.

Atque hucuſque *de Terminis in ſe* conſideratis.

Ter-

Termini in certas rerum CLASSES dispositi constituunt CATEGORIAS seu PRÆDICAMENTA.

DE PRÆDICAMENTIS.

CATEGORIA seu PRÆDICAMENTUM est series vel ordo terminorum magis & minùs communium sub uno summo genere gradatim dispositorum.

Q. 1. Cur talis series vocatur *Categoria* seu *Prædicamentum?* R. Quia Termini, ex quibus constat, sunt materia Prædicationis: nam magis communes apti sunt de minùs communibus prædicari. Unde *Prædicamentum est prædicatorum & subjectorum series.*

Q. 2. Quo fine traduntur hæc Prædicamenta? Ut in prompto sint *Termini*, ad faciendas *Propositiones*, & ex iis *Syllogismos*, qui ultimus scopus est *Logicæ.*

Q. 3. Quot modis Termini ponuntur in Prædicamentis? R. Tribus, sc. *Directè*, *Indirectè & Reductivè.*

I. *Directè* ponitur *Genus summum*, cum iis de quibus prædicatur in Quid, sc. *Subalternis*, *Speciebus specialissimis & Individuis.*

Q. 4. Quot *Conditiones* requiruntur, ut Terminus *Directè* ponatur in Prædicamento? R. Quinque, sc. ut sit

1. *Terminus simplex.* Hinc excluduntur *Ora-*

Orationes & *Termini Æquivoci.*

2. *Ens Reale*, *i. e.* quod reipſa exiſtit, vel ſaltem exiſtere poteſt. Prius dicitur Ens reale in actu: ut, *Homo*, *Equus*, *Roſa in vere*; Poſterius, Ens reale in potentia: ut, *Roſa in hyeme*. Hinc excluduntur *Entia fictitia*, i. e. impoſſibilia mente concepta & confictas; quæ, quòd à Ratione fiunt, & per Rationem ſolùm exiſtunt, ENTIA RATIONIS vocantur: ut, *Chimæra*, *Hippocentaurus*, &c.

3. *Ens unum* ſeu res unius naturæ, *i. e.* quæ non componitur ex rebus ad diverſa Prædicamenta pertinentibus: ut, *Angelus* ex nullis partibus; *Homo* ex corpore & anima, quæ ſunt ſubſtantiæ, conſtans. Hinc excluduntur *Compoſita* ſeu *Aggregata per Accidens*, i. e. quæ ex rebus ad diverſa Prædicamenta pertinentibus conſtant, qualia ſunt omnia *Artefacta*, ex Subſtantiâ & Figurâ artificiali compoſita: ut, *Sedes*, *veſtis*, &c.

4. *Ens Completum*, i. e. quod non concurrit tanquam pars ad rem unius naturæ componendam: ut, *Homo*, *Equus*, &c. Hinc excluduntur *Entia Incompleta*, i. e. quæ concurrunt tanquam partes ad rem unius naturæ componendam: ut, *Corpus*, *Anima*, *pes*, *caput*, &c. ad compoſitionem *Hominis*.

Q. 5. Cur *Genus* non excluditur, cùm ſit pars Speciei (nam S pecies ex Genere & Diffe-

Differentiâ componitur? R. Quia *Genus*, ut Genus (*i.e.* ut Speciem sub se continet) est *Totum potentiale* (nam idem est in Potentiâ, quod Species est actu) licet, ut Essentiam speciei componit, sit *pars Actualis*. *Differentia* verò est tantùm *pars*. Hinc exclusâ Differentiâ, *Genus* non excluditur.

5 *Ens Finitum*, i. e. finitæ perfectionis, ut intra finitos Prædicamenti cancellos contineatur: quales sunt *Omnes creaturæ*. Hinc excluditur *Deus Opt. Max.* quoniam omnia Prædicamenta transcendit.

II. *Indirectè* ponuntur *Differentiæ*, quæ ad latera Generum, tantùm ad divisionem faciendam, constituuntur.

III. *Reductivè* ponuntur, quæ respectum aliquem habent ad ea quæ directè collocantur. Sic *Partes* reducuntur ad Prædicamentum, in quo est *Totum*: ut, *Caput*, *manus*, *pes*, &c. hominis, ad illud, in quo est *Homo*. Denominativum; ut, *Album*; ad prædicamentū Formæ Denominantis. Composita per Accidens; ut, *Vestis*; ad illud, quod est suorum Simplicium, &c.

Prædicamenta sunt decem, à decem summis Generibus nominata, SUBSTANTIA, QUANTITAS, QUALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS. Quo-

rum

rum novem ultima vocantur ACCIDENTIA

Horum *Natura* & *Proprietates* considerandæ sunt.

De Prædicamento SUBSTANTIÆ.

SUBSTANTIA (ἡ οὐσία) est Ens per se existens, *i. e.* quod non est in alio tanquam in subjecto Inhæsionis: ut, *Homo*, *Lapis*, &c. Huic opponitur *Accidens*.

ACCIDENS est Ens in alio existens, *i. e.* quod est in alio tanquam in Subjecto Inhæsionis: ut *Albedo*. Necesse est enim, ut sit in *nive*, *lacte*, *chartâ*, vel aliquo alio subjecto.

Q. 1. Quid est esse in *Subjecto Inhæsionis*? R.

Ἐν ὑποκειμένῳ μὲν ἐστιν, ὃ ἐν τινι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστι. *Arist. Categ.* c. 2.

In subjecto est illud, quod cum in aliquo sit, non ut pars, non potest esse sine eo, in quo est: ut, *Albedo* est in pariete; quia nec pars ejus est, nec sine eo esse potest eadem albedo: Non ita Substantia existit in aliquo, *v. g.* *Vinum* in vase; quia sine vase esse potest.

Substantia est *Prima* vel *Secunda*.

Substantia *prima* est singularis: ut, *Johannes*, *Petrus*, &c.

Substantia *secunda* est universalis: ut, *Homo*, *Animal*, &c.

Q. 2. Cur Substantia singularis dicitur *prima*, & universalis *secunda?* R. Singularis dicitur *prima*, quia omnibus aliis, tanquam primum fundamentum substat. Nam omnes aliæ substantiæ sunt in illâ, ut in *primo subjecto essentiali*, deque eâ prædicantur, ut de *subjecto Prædicationis*; & (cum omne Accidens sit in Substantiâ) etiam omnia Accidentia sunt in illâ, ut in *subjecto Inhæsionis*. Cùm ergo Substantia dicatur à *Substando*, singularis meritò vocatur *Prima*. Universalis autem, cùm non omnibus aliis (quia nec Substantiis, nec Accidentibus singularibus) substat, & sic non est primum reliquorum subjectum, sed veluti secundarium, *Secunda* dicitur.

Proprietates Substantiæ sunt quatuor.

Arist. Categ. c. 5.

1. Κοινὸν κατὰ πάσης οὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι. Commune est omni Substantiæ *non esse in Subjecto* sc. Inhæsionis. Hoc convenit etiam *Differentiis* & *Partibus* Substantiarum. Q. 3


2. Ὑπάρχει ταῖς οὐσίαις καὶ τὸ μηδὲν αὐταῖς ἐναντίον εἶναι. Convenit Substantiis, *nihil eis esse Contrarium*, *i. e.* una Substantia non est alteri contraria *per se* seu ratione sui, per propr. 1. *Per accidens* verò, seu ratione alterius esse potest: ut, *Ignis aquæ* ratione *caloris* & *frigoris*.

3. Δο

3. Δοκεῖ ἡ οὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. Subſtantia videtur *non ſuſcipere magis & minùs*, *i. e.* nomina Subſtantiarum non prædicantur cùm adverbiis *magis & minùs*: ut, *Johannes* non eſt *magis* vel *minùs homo*, quàm *Petrus*, &c. licet ſit major vel minor. At in ratione ſubſtandi, *prima Subſtantia dicitur magis Subſtantia* (*i. e.* pluribus ſubſtare) *quàm ſecunda.*

4. Μάλιστα ἴδιον τῆς οὐσίας δοκεῖ εἶναι τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν. Maximè proprium Subſtantiæ eſſe videtur, eam unam numero exiſtentem *ſuſceptivam eſſe Contrariorum*, *i. e.* una & eadem Subſtantia viciſſim ſuſcipere poteſt Contraria tanquam ultimum Subjectum, *h. e.* quod non eſt in ulteriori: ut, *Eadem aqua calorem & frigus.*

Q. 3. Cur addis, *tanquam ultimum Subjectum?* R. Quia Quantitas etiam recipit Contraria: ut Superficies *albedinem* & *nigredinem.* At non tanquam ultimum ſubjectum, cum ipſa ſit in ulteriori ſc. Subſtantia.


SUBSTANTIA
Spiritus
Michael
Gabriel
Raphael &c.
Corpus
Non vivens
Simplex
Cælum
Empyræum.
Firmamentum.
Planetarum.
Elementum
Ignis.
Aer.
Aqua.
Terra.
Mixtum
Metallum.
Aurum.
Argentum.
Ferrum, &c.
Lapis.
Silex.
Iaspis.
Sardonyx, &c.
Horum Media.
Gluten.
Gummi.
Sulphur, &c.
Vivens
Planta
Herba.
Beta.
Thymus.
Hysopus, &c.
Frutex
Genista.
Vepres.
Arundo, &c.
Arbor
Quercus.
Malus.
Corylus, &c.
Animal
Brutum
Animal reptile
Lumbricus.
Vipera.
Coluber &c.
Piscis.
Salmo.
Gobio.
Rhombus, &c.
Avis.
Philomela.
Olor.
Anser &c.
Animal quadrupes
Equus.
Leo.
Porcus.
Homo
Johannes.
Petrus
Thomas, &c.

De

De Prædicamento QUANTITATIS.

QUANTITAS (τὸ ποσὸν) est, secundùm quam aliquid Quantum aut Quotum dicitur: ut, *Linea pedalis*; *Numerus ternarius*.

Q. 1. Quid est *Quantum* aut *Quotum* dici? *R.* Est denominari in Concreto, quo aptè respondetur quærenti Quantum aut Quot sint: ut, *Lignum* dicitur *pedale* à *lineâ pedali*; & *tria* dicuntur à *numero ternario.* Nam si quæratur, *Quantum est lignum?* Resp. *Est pedale*, si, *Quot sunt.* *R. Tria.* Hinc

Quantitas est *Continua* vel *Discreta.*

Quantitas *Continua* (τὸ ποσὸν συνεχὲς) est, quæ habet partes termino communi copulatas: ut, *Linea pedalis.* *Arist. Cat.c.6.*

Q. 2. Quid hîc est *Terminus Communis?* *R.* Est aliquid indivisibile in Quantitate, partes ejus ita conjungens; ut sit finis unius, & initium alterius; unde *Communis* dicitur: ut, *Medium momentum horæ.*

¶ Quantitas Continua est *permanens* vel *successiva.*

Quantitas *permanens* est, cujus omnes partes simul existere possunt; unde ἔχει θέσιν μορίων, *partium positionem habet.* Dicitur MAGNITUDO; estque triplex, LINEA, SUPERFICIES & CORPUS.

LI-

LINEA (γραμμὴ) est magnitudo longa, non lata aut profunda, cujus partes puncto copulantur: ut, *ulna*, *stadium*, *milliare*, &c.

SUPERFICIES (ἐπιφάνεια) est magnitudo longa & lata, non profunda; cujus partes *Lineâ* copulantur: ut, *Jugerum*, &c.

CORPUS (σῶμα) est magnitudo longa, lata & profunda; cujus partes *superficie* copulantur: ut, *Cubus*, *Sphæra*, &c.

Q. 3. Quomodo *Linea* & *Superficies* dicuntur, *Termini communes*, cùm sint Species Magnitudinis, ac proinde *divisibiles*. R. Terminus communis est indivisibilis, quoad propriam divisionem illius Quantitatis, cujus est Terminus (quicquid sit de aliis) & sic *Linea* quoad *Latitudinem*, & *Superficies* quoad *profunditatem* est indivisibilis & Terminus communis, illa Superficiei, hæc Corporis. Licet quoad *Longitudinem* illa; quoad *Longitudinem* & *Latitudinem* hæc sit divisibilis & species Magnitudinis.

Q. 4. Quomodo *Corpus* numeratur inter species *Magnitudinis*; cùm ante positum fuerit in prædicamento *Substantiæ*; & priùs dictum sit illud non poni *directè* in ullo Prædicamento? R. Corpus tria significat 1. Partem Compositi naturalis; quomodo *Hominem* ex *Corpore* & *Animâ* constare dicimus; & sic *directè* ponitur in nullo

nullo Prædicamento. 2. Integrum Compositum naturale ; quomodo dicimus *Hominem esse Corpus*, *i.e.* Substantiam Corpoream. Et sic ponitur in Prædicamento Substantiæ. 3. Quantitatem tres dimensiones habentem, quæ *Corpulentia* vel *Crassities* dici potest ; quomodo hec loco accipitur.

Quantitas *Successiva* est, cujus omnes partes simul existere non possunt : ut, *Hora*, *dies*, *annus*, &c. Dicitur TEMPUS, cujus communis Terminus est *Instans* sive τὸ νῦν.

Quantitas DISCRETA (τὸ ποσὸν διωρισμένον) est, quæ habet partes nullo communi Termino copulatas. Estque NUMERUS, & (secundùm Veteres) ORATIO.

NUMERUS (ἀριθμός) est Quantitas discreta permanens : ut, *Binarius*, *Ternarius*, &c.

ORATIO (λόγος) est Quantitas discreta successiva : ut, hæ voces prolatæ, *Socrates ambulat.*

Proprietates Quantitatis sunt tres.

1. Τῷ ποσῷ οὐδὲν ἐστιν ἐναντίον. Quanto nihil est contrarium, *i. e.* una Quantitas non est alteri contraria per se : ut, *Linea lineæ* vel *superficiei*, &c. quia non habent vim se mutuò expellendi ab eodem subjecto. Nam *Quantitas nihil agit.* Per Accidens verò una potest esse alteri contraria : ut, *Superficies alba nigræ.* *Arist. ibid.*

2 O'

2. Οὐ δοκεῖ τὸ ποσὸν ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον.
Non videtur Quantum *suscipere magis & minùs*, *i. e.* Concreta Quantitatis non prædicantur cum adverbiis *magis* & *minùs* : ut, *Unum bicubitum non dicitur alio magis vel minùs bicubitum.*

3. Ἴδιον μάλιστα τοῦ ποσοῦ τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι.
Maximè proprium Quanti est, *æquale* & *inæquale* dici. Quia solæ Quantitates per se ; alia verò ratione Quantitatum dicuntur *æqualia* aut *inæqualia* : ut, *Linea pedalis pedali per se* ; at, *Lignum ligno ratione longitudinis vel latitudinis*, &c. *est æquale.*

QUANTITAS
- Continua
  - Permanens
    - LINEA.
    - SUPERFICIES.
    - CORPUS.
  - Successiva — TEMPUS.
- Discreta
  - NUMERUS.
  - ORATIO.

De

De Prædicamento QUALITATIS.

ΠΟΙΟ'ΤΗΣ ἐςὶ, καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται, *Arist. Categ. c. 8.*
QUALITAS est, secundùm quam quales quidam esse dicuntur: ut, *Albedo*, à qua homo albus; *Justitia*, à qua justus &c. dicitur. Post Copulam hîc intelligitur *Forma Accidentalis*. Unde Formæ Substantiales; ut *Anima*; & Differentiæ Substantiarum; ut *Rationale*, &c. excluduntur.

Q. 1. Quid est *dici Quale?* *R.* Est denominari in Concreto, quo aptè respondetur quæstioni factæ per *quale tantùm:* ut, ab albedine paries dicitur *albus*. Nam si quæratur, *Qualis est paries?* respondetur, *Est albus.*

Q. 2. Cur dicis *quæstioni factæ per quale tantùm?* R. ut excludantur cæteræ Formæ Accidentales, per quas respondetur quæstioni factæ per Quale; sed non tantùm: ut, non tantùm quærenti *Quale*, sed (& magis propriè) *Quantum est lignum?* respondetur, *Est pedale.*

Qualitas est quadruplex, *Habitus* & *Dispositio*; *Naturalis Potentia* & *Impotentia*; *Patibilis Qualitas* & *Passio*; *Forma* & *Figura*.

I. Habitus (ἕξις) est qualitas adventitia, diu permanens, qua Subjectum ejus promptum redditur ad operandum: ut, *Habitus*

biuscitharizandi; *Scientia*, *Virtus*, &c.

Q. 3. Cur dicitur *Qualitas adventitia*? R. Quia non fluit ab essentia Subjecti (per quod distinguitur à *naturali Potentia*) sed vel à Deo infunditur; ut, Habitus supernaturales; *Fides*, *Spes*, *Charitas*, &c. qui propterea vocantur *Habitus infusi*; vel crebris actionibus (*i. e.* actuum similium frequenti repetitione) acquiritur: ut, Habitus naturales, *Artes*, *Scientiæ*, &c. qui idcirco vocantur *Habitus acquisiti*.

Q. 4. Cur dicitur *diu permanens*? R. ut distinguatur à DISPOSITIONE, quæ est Habitus imperfectus. Si enim qualitas sit difficulter mobilis à Subjecto; ut, *Intemperantia longo usu confirmata*, dicitur HABITUS. Sin faciè mobilis sit, est διάθεσις DISPOSITIO.

II. POTENTIA NATURALIS (δύναμις φυσικὴ) est qualitas à naturâ insita, qua Subjectum redditur aptum ad aliquid agendum aut patiendum. Unde est duplex sc. Activa; ut, *Vis calefaciendi in igne*; & Passiva; ut, *Vis resistendi in ferro*. Si debilis sit & imperfecta, dicitur ἀδυναμία IMPOTENTIA: ut, *Obtusum ingenium*; *Labilis memoria*, &c.

III. PATIBILIS QUALITAS (παθητικὴ ποιότης) est diu permanens qualitas unico sensu exte-

exteriori perceptibilis, aut appetitûs affectio: ut, *Albedo*, *dulcedo*, &c. *Ira*, *odium*, &c.

Q. 5. Quid hîc vocatur *appetitûs affectio?* R. Est appetitûs commotio ex vehementi apprehensione orta: ut, *Ira*, *Odium*, *Tristitia*, &c.

Q. 6. Cur dicitur *diu permanens?* R. Quia si citò transeat dicitur πάθος PASSIO: ut, *Rubor ex verecundia*; *Pallor ex metu ortus.*

IV. FORMA (μορφὴ) est qualitas resultans ex terminatione quantitatis in re naturali spectatæ: ut, *Forma externa hominis*, *leonis*, &c.

Q. 7. Cur dicis, *in re naturali spectatæ?* R. Quia qualitas resultans ex terminatione quantitatis in se spectatæ dicitur σχῆμα, FIGURA, ut, *Circulus*, *Triangulum*, &c.

Proprietates Qualitatis sunt tres.

1. Ὑπάρχει ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν. *Contrarietas* inest Qualitati, *i. e.* una Qualitas est alteri contraria per se: ut, *Albedo nigredini*; *Virtus vitio*, &c. Hæc proprietas soli Qualitati convenit, sed non omni, maximè secundæ & quartæ speciei; ut nec aliquibus primæ & tertiæ: ut, *Habitui Citharizandi*, *Luci*, *Mediis coloribus*, &c. quibus *Privationes* suæ opponuntur; nil autem *Contrariè.*

2. Ἐπι-

2. Ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά. Qualia recipiunt *magis* & *minùs* : ut, *unum album dicitur magis album quàm alterum*. Quia Qualitates habent *Gradus Intentionis*, è quibus eadem pars Subjecti plures vel pauciores recipere potest: ut, *eadem pars aquæ potest nunc plus caloris*, seu plures ejus gradus habere, & tunc dicitur *magis calida : nunc minus caloris* seu *pauciores ejus gradus*, & dicitur *minus calida*. Et hoc est propriè *suscipere magis & minùs*, seu *intendi & remitti*; quod non convenit omni Qualitati; ut, *Figuræ*. Nam *idem Triangulum non potest esse nunc magis, nunc minùs (nec altero magis aut minùs) Triangulum*; sed tantùm majus aut minus, &c.

Arist: ibid.

3. Ὅμοια ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται. *Similia* aut *dissimilia* secundùm solas Qualitates dicuntur: ut, *Parietes albi sunt similes ratione albedinum; niger & albus dissimiles ratione diversarum qualitatum.*

QUA-

De Prædicamento RELATIONIS.

Ἔστι ΤΑ' ΠΡΟ'Σ Τ'Ι, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐστι τῷ πρὸς τί πως ἔχειν· RELATA sunt, quorum esse est ad aliquid quodammodo se habere, *h. e.* quorum tota essentia consistit in respectu ad aliud : ut, *Pater*, *Filius*, &c. Nam *Pater* designat tantùm Respectum generantis ad genitum ; & *Filius* è contra. Dicuntur etiam RELATIVA. *Arist. Cat. c. 7. sect. 24.*

Q. 1. Quot in Relativis consideranda sunt? R. sex, sc. *Subjectum*, *Terminus*, *Fundamentum*, *Relatio ipsa*, *Relatum* & *Correlatum*.

1. *Subjectum* est id, quod refertur ad aliud : ut, *Anchises* (qui ad *Æneam* refertur ; ut Pater ejus) est Subjectum Paternitatis.

2. *Terminus* est id, ad quod Subjectum refertur : ut, *Æneas* (ad quem Anchises refertur, ut Pater) est Terminus Paternitatis.

3. *Fundamentum* est id, quo mediante Subjectum refertur ad Terminum : ut, *Generatio* (quo mediante Anchises ad Æneam refertur, ut Pater ; nempe quia genuit illum) est Fundamentum Paternitatis.

4. *Relatio* est respectus Subjecti ad Terminum : ut *Paternitas*, quæ est respectus An-

Anchisæ ad Æneam.

5. *Relatum* est Subjectum cum Relatione: ut Anchises cum Paternitate spectatus, ut *Pater*, est Relatum.

6. *Correlatum* est Terminus cum Relatione opposita: ut, Æneas cum Filiatione spectatus, ut *Filius*, est Correlatum.

Relatum & Correlatum mutuis Relationibus se respiciunt; unde quod est Subjectum & Relatum respectu unius, est Terminus & Correlatum respectu alterius Relationis; & contra: ut, *Anchises*, qui est Subjectum, & *Pater* Relatum, respectu *Paternitatis*, sunt *Terminus* & *Correlatum* respectu *Filiationis*; sicut Æneas & *Filius*, qui sunt *Terminus* & *Correlatum* respectu *Paternitatis*, sunt *Subjectum* & *Relatum* respectu *Filiationis*.

Q. 2. *Quomodo Relativa & Correlativa differunt?* R. RELATIVA dicuntur, quæ referuntur ad aliud: ut, *Pater*, *Dominus*, &c. CORRELATIVA quæ ad invicem: ut, *Pater* & *Filius*; *Dominus* & *Servus*, &c.

Relata sunt *Synonyma* seu ÆQUIPARANTIÆ, & Heteronyma seu DISQUIPARANTIÆ.

Relata *Synonyma* seu ÆQUIPARANTIÆ sunt, quæ referuntur ad Correlata ejusdem nominis: ut, *Amicus*, *Simile*, *Æquale*, &c. nam Amicus amico, Simile simili, *&c.* refertur.

Re-

Relata *Heteronyma* seu DISQUIPARANTIÆ sunt, quæ referuntur ad Correlata diversi nominis: ut, *Dominus* & *Servus*; *Pater* & *Filius*, &c. Nam Dominus Servo, non Domino; & Pater Filio, non Patri, *&c.* refertur. Horum illud, quod rem significat digniorem, vocatur Relatum *Superpositionis*; ut, *Dominus*: alterum verò Relatum *Suppositionis*; ut, *Servus*.

Proprietates Relatorum sunt tres.

1. Πάντα τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται. Omnia Relata dicuntur ad ea, quæ *convertuntur*, *i. e.* omnia Relativa referuntur ad sua Correlativa: ut, *Pater est filii pater*; &, *Filius est patris filius*. Sed termini apti (*i. e.* æquè latè patentes) accipiendi sunt, ut fiat Reciprocatio; quibus si desint idonea vocabula, licet ὀνοματοποιεῖν, *i. e.* nomina fingere (inquit Arist.) quibus aptè reddantur: ut, *Ala* & *Avis* non sunt Correlativa (quia non omne, quod habet alas, est avis; ut Musca, vespa, *&c.*) sed *Ala* & *alatum*: ut, *Ala est alati ala*, & , *Alatum est alâ alatum*.

2. Δοκεῖ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι. Relata *simul Natura* esse videntur (sc. quatenus sunt Relata idque ad seinvicem, *i.e.* Correlativa) ut, *Dominus* & *Servus*, *Pater* & *Filius*, &c. qua tales, non qua homines; quia sic sunt Termini Absoluti; ut, nec *Dominus* & *Pater*; quia non sunt Correlativi.

3. Ἐὰν

3. Ἐάν τις εἰδῇ τι ὡρισμένως τῶν πρός τι, κἀκεῖνο, πρὸς ὃ λέγεται ὡρισμένως εἴσεται. Si quis unum Relatorum *definitè* cognoverit, etiam id, ad quod refertur, *definitè* cognoscet: ut, *Cognito Philippum esse patrem, cognoscitur illum habere filium*; vel, *Cognito Philippum esse patrem Alexandri, cognoscitur Alexandrum esse ejus filium.* Hinc Relata sunt *simul Cognitione*, (sc. qua Correlativa.)

RELATA
- Æquiparantiæ *quorum fundamentum est.*
  - *Substantia, ut*
    - Eadem.
    - Diversa.
  - *Quantitas, ut*
    - Æqualia.
    - Inæqualia.
  - *Qualitas ut*
    - Similia.
    - Dissimilia.
  - *Relatio, ut, &c.*
    - Proportionalia.
    - Duo Patres.
    - Duo Principes.
    - Duo Domini.
    - Concives.
    - Conservi, *&c.*
- Disquiparantiæ.
  - *Superpositionis, ut*
    - Causa
      - Materialis.
      - Formalis.
      - Efficiens.
      - Finalis.
    - Princeps.
    - Dominus.
    - Pater.
    - Maritus, *&c.*
  - *Suppositionis, ut*
    - Causatum
      - Materiatum.
      - Formatum.
      - Effectum.
      - Medium.
    - Subditus.
    - Servus.
    - Filius.
    - Uxor, *&c.*

De Prædicamento ACTIONIS *&* PASSIONIS.

ACTIO (τὸ ποιεῖν) est Forma, à quâ quidpiam dicitur agere, i. e. efficere aliquid: ut, *Calefactio*, per quam ignis dicitur calefacere lignum, i. e. calorem in ligno producere.

PASSIO (τὸ πάσχειν) est Forma, à quâ quidpiam dicitur pati, i. e. effectum agentis recipere: ut, *Calefactio*, per quam lignum dicitur calefieri ab igne, i. e. calorem ab igne recipere. Unde *Actio* & *Passio* non tam sunt diversæ res, quàm Modi diversi ejusdem rei. Idem enim Motus, prout fluit ab Agente, dicitur *Actio*, & prout recipitur in Patiens, *Passio*: ut, *Calefactio*, quatenus ab igne fluit, est *Actio*, & quatenus in lignum recipitur, est *Passio*.

Actio est *Immanens* vel *Transiens*.

Actio *Immanens* est, quæ manet in Agente: ut, *Intellectio*, quæ manet in intellectu.

Actio *Transiens* est, quæ transit in aliud: ut, *Calefactio*, quæ transit ab igne in lignum. Unde in Actione Immanente Agens & Patiens sunt idem; in Transeunte realiter diversa.

Q. 1 An cuilibet *Actioni* respondet *Passio*? R. Ita; juxta Regulam, *Actio ex se infert Passionem*. Proinde, Actioni Immanenti *Passio Intentionalis*; Transeunti autem *Transmutativa Passio* respondet: quarum ista realem aliquam mutationem in Pa-

tiens introducit; illa verò nullam.

Q. 2. Quomodo Actionis & Passionis *Abstracta* distinguuntur? R. Per voces *Activa* & *Passiva*, quæ (distinctionis gratiâ) illis addi solent: ut, *Calefactio activa*, *Calefactio passiva*, &c. Concreta verò ex seipsis facilè distinguuntur: ut, *Calefacere*, *Calefieri*, &c.

Proprietates Actionis & Passionis sunt duæ.

1. Ἐπιδέχεται τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ἐναντιότητα. Actio & Passio suscipiunt *Contrarietatem* i. e. Actio potest esse contraria Actioni & Passio Passioni: ut, *Calefactio Frigefactioni.*

2. Ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν. Actio & Passio suscipiunt *magis* & *minus*, i. e. Concreta Actionis & Passionis quædam prædicari possunt cum adverbiis magis & minùs: ut, *unum Agens dicitur magis agere*, *calefacere*, *frigefacere*, *&c.* *& unum Patiens magis pati*, *calefieri*, *frigefieri*, *&c. quàm aliud.* Neutra harum proprietatum Actioni & Passioni per se convenit, sed gratiâ Terminorum seu qualitatum, quæ per illas producuntur aut recipiuntur: ut, *Calefactio Frigefactioni* contraria est, quia *calor frigori* contrariatur; & unum calefaciens alio *magis calefacere* dicitur, quia passum *magis calidum* reddit, *majorem* in illo producendo *calorem.* Absolutè tamen illis tribuuntur, quia illarum nominibus exmuntur


primuntur, cum à qualitatibus contrariis, & magis ac minùs recipientibus, nomina sortiantur. Unde nec omnibus conveniunt, sed iis tantùm, quarum Termini sunt contrarii, & Intensionem ac Remissionem recipiunt. Itaque, *Generare*, *Figurare*, &c. sicut illarum Termini *Substantia*, *Figura* &c. non habent contraria, nec magis & minus recipiunt.

ACTIO




Immanens.
Transiens.
Sensitiva
Sensatio
Externa.
Visio.
Auditio.
Olfactio.
Gustatio.
Tactio.
Interna.
Æstimatio.
Imaginatio.
Recordatio.
Appetitio, circa
Bonum
Amor.
Letitia.
Desiderium.
Spes.
Audacia.
Malum.
Odium.
Tristitia.
Fuga seu aversatio.
Desperatio.
Timor.
Ira.
Rationalis
Intellectus
Apprehensio.
judicium
Enunciativum.
Discursivum.
Voluntatis
Volitio
Nolitio
finis
Voluntas
Intentio
Fruitio
mediorum
Consensus
Electio
Usus.
Substantialis.
Creatio. Conservatio.
Generatio. Corruptio.
Nutritio.
Accidentalis terminata ad.
Quantitatem
Accretio
Decretio
seu
Augmentatio.
Diminutio.
Qualitatem. Alteratio
Calefactio.
Frigefactio. &c
Locum, Latio seu motus localis
Naturalis.
Simplex
Circularis ut motus Celorum.
Rectus
Sursum: ut ignis & aeris.
Deorsum ut aquæ & terræ.
Mixtus: ut Locomotio seu motus progressivus animalium.
violentus
Pulsio.
Percussio.
Jaculatio.
Protrusio.
Tractio ut inspiratio
Vectio.
Vertigo.

UBI (τὸ ποῦ) est præsentia rei in loco: ut, *esse in Scholâ*, &c. quæ vocatur *præsentia localis*; estque Modus quidam, quo res fit præsens alicui loco, tam à re ipsa, quàm à loco ejus distinctus.



De Prædicamento QUANDO.

QUANDO (τὸ πότε) est existentia rei in tempore ut, *Fuisse heri*, *esse hodie*, &c. quæ vocatur *Præsentia Temporalis*; estque Modus quidam, quo res fit præsens alicui tempori, tam à re ipsâ, quàm à tempore ejus distinctus. Proinde *Quando* se habet ad Tempus, sicut *Ubi* ad Locum.



De Prædicamento SITUS.

SITUS (τὸ κεῖσθαι) est dispositio partium in toto in ordine ad locum: ut, *Stare*, *sedere*, *cubare*, &c. Nam suscipit aliquis has denominationes ex eo, quòd habeat partes corporis certâ ratione in loco dispositas; unde est specialis præsentia localis, ab Ubi differens, ut *Esse tali modo in loco*, differt ab *Esse in loco*.

SI

- SITUS
  - *Erectus*, Statio,
  - *Pronus*, Inclinatio,
    - *Totalis*, Prostratio
      - Supina.
      - Prona.
    - *partialis* In curvatio
      - proclinatio.
      - Reclinatio.
      - Genuflexio.
      - Sessio, *&c.*

De Prædicamento HABITUS.

HABITUS (τὸ ἔχειν) est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio: ut, *esse tunicatum*, *coronatum*, &c. Habitus quinque modis accipitur. 1. Pro *re* quavis *habitâ* vel ejus *habitione*, & sic ad prædic: Relationis pertinet, 2. ut opponitur *Privationi*. 3. Pro primâ specie *Qualitatis*. 4. Pro *veste*, & sic directè in nullo prædicamento ponitur, quia est *Compositum per Accidens*. 5. Pro accommodatione vestis ad rem vestitam, quæ est *specialis ubicatio vestis*; nempe *Circumpositio*; estque acceptio hujus loci.

- HABITUS
  - *Indumenti*
    - *Civilis*. vestitum *esse*,
      - *Interne*: Interulatum, *&c.* Camisatum — *esse*.
      - *Externe*: Palliatum, Togatum, Tunicatum, Pileatum, Calceatum, *&c.* — *esse*.
    - *Militaris*, Armatum *esse*, *sc.*
      - Loricatum, Paludatum, Galeatum, Peltatum, Hastatum, Gladiatum, *&c.* — *esse*.
  - Ornamenti.
    - Annulatum, Coronatum, Mitratum, *&c.* — *esse*.

Atque hactenus de TERMINO SIMPLICI, adeoque de PRIMA PARTE Logicæ.

De

PARS II.

De ENUNCIATIONE.

Partes Enunciationis sunt NOMEN *&* VERBUM.

De NOMINE *&* VERBO.

Arist. de Interpr. c. 2.

Ὄνομα ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον NOMEN est vox significativa ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separata; ut *Homo*, *Candor*, &c.

Q. 1. *Quid est* significare ex instituto? R. *Est significare ex impositione liberâ & non naturaliter: ut, quod vox* Canis *significet animal latrans, potiùs quàm aliud quid, est ex merâ hominum voluntate & institutione, qui illam imprimis sic usurpare conspirârunt. Per hanc partē distinguitur Nomen* (1) *à vocibus inarticulatis, i.e. quæ literis & syllabis tanquam articulis non constant, adeo ut scribi non possint: ut*, Boatus, hinnitus, fletus, risus, *&c.* (*si pro sonis significatis, non pro vocibus significantibus sumantur*) *hæ enim naturaliter significant affectus.* (2) *ab articulatis, quæ aut nihil significant; ut*, Blitri, Flottrus, nidro, *&c. aut res conceptas, sed naturaliter; ut*, Tantara, r, r, בקבוק, &c. *Reliquæ omnes significant, ut ad significandum sunt institutæ, adeoque ad placitum; ut patet,*

quis

quia vox eadem in diversis linguis aliquando diversa, quandoque idem, nonnunquam nihil, præterquam in una, significat; cùm quæ sunt naturalia, semper & apud omnes sint eadem.

Q. 2. *Quid est* significare sine tempore? *R. Est præter principale significatum nullam primariam temporis differentiam denotare, quæ sunt tres;* præsens, præteritum *&* futurum. *Unde voces istæ,* hora, dies, mensis, *&c. quæ principaliter significant tempus; & istæ,* præsens, præteritum, futurum, *ut &* hodiernum, hesternum, crastinum, *&c. quæ principaliter significant differentiam temporis; necnon* prandium, cœna, *&c. quæ præter principale significatum,* sc. *refectionem corporis, tempus aliquod,* meridiem *puta aut* vesperam, *implicant, quia primariam temporis differentiam non denotant, sine tempore significant, & sunt nomina.*

Q. 3. *Quare dicitur,* cujus nulla pars significat separata? *R. Ut excludatur Oratio: ut;* Homo albus, *cujus aliqua pars seorsim significat. Non tamen excluditur nomen compositum: ut,* Jusjurandum, Respublica, *&c. quorum partes aliquid per se singulæ significant, si sumantur ut integræ dictiones; nihil verò ut sunt partes unius compositæ; sed sunt instar syllabarum, quæ propriam significationem non habent.*

Arist. de Interpr. c. 3.

ῬΗ͂ΜΑ ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον. VERBUM est, quod consignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim, estque semper nota eorum, quæ de alio dicuntur: ut, *Amo*, *habeo*, &c. *Ex definitione nominis hîc addendum est*, Verbum esse vocem significativam ex instituto.

Q. 4. *Quid est* consignificare tempus? *R. Est significare cum tempore*, i. e. *præter principale significatum aliquam primariam temporis differentiam denotare: ut*, amo, *quod, præter amorem, quem principaliter significat, tempus præsens denotat. Per hanc partem excluditur* Nomen.

Q. 5. *Quid est*, Verbum esse semper notam eorum, quæ de alio dicuntur? *R. Est Verbum semper denotare aliquid subjecto attribui, seu esse prædicatum, vel* Formale *tantùm: ut hîc*, Homo est animal; *Vel* Formale & Materiale *simul, si sit verbum adjectivum Copulam includens: ut*, Joannes ambulat; *idque cùm ponitur significativè*, i. e. *pro re significatâ, non pro voce significante. Nam tunc potest esse subjectum; ut*, Amo est verbum.

Nomen & Verbum in Finitum *&* Infinitum, *item in* Rectum *&* Obliquum *dividuntur.*

Nomen & Verbum Finitum *est*, *cui nulla præfigitur negatio: ut*, Homo, Currit, *&c.*

&c. quod sic dicitur, quia certam & definitam habet significationem, nulli alii competentem. Infinitum *est, cui præfigitur negatio, i. e. particula negativa* non: *ut,* Non homo. Non currit, *&c. Dicitur* Infinitum, *quia indefinitam habet significationem, cuilibet alii, sive enti sive non enti, competentem.*

Nomen & Verbum Rectum *est vox nominativi casus; vel indicativi modi ac præsentis temporis: ut,* Homo. Currit, *&c. Reliqua vocantur* Casus Nominum *ac* Verborum: *ut,* Hominis, Homine. Cucurrit, Curret, *&c. quæ à Nominis ac Verbi definitionibus sunt* excludenda, *quia non possunt absolvere* Ennunciation*em, cujus solius gratiâ de illis hic agitur. Nam vel verum & falsum non significant (v. Def.* Enunc. *) ut,* Hominis est. Socratem disputare, *&c. vel veritas Enunciationis, quam componunt, à veritate Enunciationis de præsenti dependet: ut, hæc est vera,* Aristoteles audivit Platonem, *quia hæc aliquando fuit vera,* Aristoteles audit Platonem.

De ORATIONE.

Ex *Nomine & Verbo fit* ORATIO.

ΛΌΓΟΣ ἐςὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην, ἧς τῶν μέρων τι σημαντικόν ἐςι κεχωρισμένον, ὡς φάσις, ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις. *Ibid.* c. 4.

ORATIO est vox significativa ex instituto,

tuto, cujus aliqua pars separata significat ut dictio, sed non ut affirmatio vel negatio: ut, *Homo albus. Homo est animal*, &c.

Q. 1. *Quid est significare ut dictio?* R. *Est significare sine vero & falso: ut*, Homo, *&c. è contrà*, significare ut affirmatio vel negatio, *est significare cum vero aut falso: ut*, Homo est animal.

Q. 2. *Quare dicitur*, cujus aliqua pars significat, ut dictio, *non verò*, omnis? R. *Ne excluderetur Enunciatio composita: ut*, Homo est rationalis & brutum est irrationale, *cujus aliqua pars*, *sc.* Homo est rationalis, *significat ut affirmatio*, *& sic non omnis*, *sed aliqua tantùm*, *ut dictio: ut*, Homo. Rationalis, *&c.*

Oratio est *Imperfecta* vel *Perfecta*.

Oratio *Imperfecta* est, quæ imperfectum sensum gignit in animo audientis: ut, *Homo albus*. *Perfecta*, quæ perfectum: ut, *Homo est animal*. Estque *non Enunciativa* vel *Enunciativa*.

Oratio perfecta *non Enunciativa* est, in qua nec est verum nec falsum. Estque quintuplex; sc. Interrogativa: ut, *Est aliquid, quo tendis?* Vocativa: ut, *Huc ades, ô Melibœe*. Imperativa: ut, *Maturate fugam*. Deprecativa: ut, *Aspice nos*. Et Optativa: ut, *Utinam evadam Philosophus*. *Hæ ad* Rhetoricam *vel* Poeticam *propriè pertinent*; *sola Enunciativa est hujus loci.*

De

De ENUNCIATIONE.

Ἀποφαντικὸς ἔστι λόγος, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. *Ibid. Sect.* 5.
ENUNCIATIO est Oratio, quæ verum vel falsum significat; ut, *Homo est rationalis. Homo non est rationalis. Verum significat*, quæ est conformis rei significatæ; sive quæ dicit id esse, quod est, & non esse, quod non est: ut, *Homo est rationalis. Vitium non est amandum*; & dicitur *Enunciatio vera. Falsum*, quæ est difformis rei significatæ; sive, quæ dicit id esse, quod non est, vel non esse, quod est; ut, *Vitium est amandum. Homo non est rationalis*; & dicitur *Enunciatio falsa.*

Q. 1. Unde pendet *Veritas* & *Falsitas* Enunciationis? *R.* Ex habitudine vel connexione partium, quæ dicitur ejus *Materia*; estque triplex,

1. *Necessaria* seu naturalis, quæ non potest aliter esse; ut in hâc, *Homo est animal.*
2. *Impossibilis*, quæ non potest ita esse: ut, *Homo est irrationalis.*
3. *Contingens*, quæ potest ita esse vel non esse: ut, *Homo est doctus.*

Q. 2. Quomodo *Propositio* differt ab Enunciatione? *R. Propositio* propriè est prima Syllogismi Enunciatio; usus tamen

jam

jam obtinuit, ut pro quâlibet Enunc- etiam extra Syllogismum positâ (quia primas in illo tenere apta est) usurpetur.

Enunciatio consideratur *Absolutè*, vel *prout restringitur ad certam materiam.*

Enunciatio absolutè consideratur quoad ejus *Divisiones* & *Affectiones.*

Divisio Enunciationis est triplex, sc. secundùm *Substantiam*, *Qualitatem* & *Quantitatem*; quibus triplex aptatur Quæstio, *Quæ? Qualis? Quanta?* hoc versiculo comprehensa,

Quæ? Cat: vel Hyp. *Qualis?* Ne: vel Aff. Un: *Quanta?* Par: Ind: sing.

PRIMA DIVISIO.

I. Quoad *Substantiam* Enunciatio est *Simplex* vel *Composita*; seu CATEGORICA vel HYPOTHETICA latè dicta.

Ibid: c. 5. sect. 5. Ἀπόφανσις ἁπλῆ ἐστιν, ἤ τι κατά τινος, ἤ τι ἀπό τινος [ἀποφαίνεται.] Enunciatio *simplex* (seu CATEGORICA) est, quæ aliquid de aliquo; vel aliquid ab aliquo [enunciat.] *i. e.* quæ unum prædicatum de uno subjecto affirmat vel negat: ut, *Homo est animal. Terra non movetur.* Estque *Pura* vel *Modalis.*

Enunciatio PURA est, in qua prædicatum purè affirmatur vel negatur de subjecto *i. e.* simpliciter dicitur inesse aut non inesse; modo inessendi non expresso (unde & *Propositio de inesse* vocatur): ut, *Homo est animal.*

Enun-

Enunciatio MODALIS eſt, in qua Modus convenientiæ prædicati cum Subjecto exprimitur: ut, *Neceſſe eſt hominem eſſe animal.* Modi illi ſunt quatuor; ſc. *Neceſſe*, *Impoſſibile*, *Contingens*, & *Poſſibile*, qui quadruplicem conſtituunt propoſitionem Modalem, in quâ *Modus* eſt prædicatum, reliqua pars (*Dictum* appellata) eſt Subjectum: ut, *Hominem eſſe animal eſt neceſſe*, *Hominem eſſe irrationalem eſt impoſſibile*. *Fodientem agrum invenire theſaurum eſt contingens*. *Petrum eſſe doctum eſt poſſibile*.

Q. 3. Quænam huc revocantur? R. Propoſitiones EXPONIBILES, quæ ſunt triplices. 1. *Excluſiva*, ſive ex parte Subjecti: ut, *Solus probus eſt ſapiens*, & dicitur *Excluſiva de Subjecto*; ſive ex parte Prædicati: ut, *Elementa ſunt tantùm quatuor*, & dicitur *Excluſiva de Prædicato*; ſive ex parte utriuſque: ut, *Sola ſpecies immediatè prædicatur de differentibus numero tantùm.* 2. *Exceptiva* ſimiliter, vel ex parte Subjecti: ut, *Omne animal*, *præter hominem*, *eſt irrationale*; vel ex parte Prædicati: ut, *Diluvium abſorpſit omnes homines*, *præter Noachum cum familiâ ſuâ.* 3. *Reſtrictiva* ſeu *Reduplicativa*, ſive uniformis ſit Reduplicatio & ſecundùm idem nomen, quæ *Specificativa* dicitur: ut,

Homo,

Homo, qua homo, est rationalis; sive Difformis & secundùm diversa; quæ simpliciter dicitur *Reduplicativa*: ut, *Homo, qua animal, sentit.*

Enunciatio *Composita*, seu HYPOTHETICA latè dicta, est, quæ pluribus Enunciationibus inter se copulatis constat. *Hypothetica* dicitur à præcipuâ ejus specie. Nam est triplex, sc. *Conditionalis*, *Copulativa* & *Disjunctiva.*

Enunciatio CONDITIONALIS (seu *Hypothetica* strictè dicta) est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Conditionali: ut, *Si Socrates est homo, est animal.* Quarum prior vocatur *Antecedens*; ut, *Si Socrates est homo*: posterior Consequens; ut, *Est animal.* In harum nexu (ut una ex alterâ sequatur) consistit *veritas* hujus Enunciationis, non in veritate alterius vel utriusque partis. Unde, *Si Socrates est lapis, est insensibilis*, vera est, ob necessariam Consequentis ex Antecedente Consecutionem, licet utraque pars sit falsa. Hinc Axioma, *Conditionalis nihil ponit in esse.* Hæc verò, *Si Socrates est homo, est Philosophus*, est falsa, licet utraque pars sit vera; quia nulla datur Consequentia, *i. e.* Connexio inter Antecedentem & Consequentem ita ut hæc ex illa sequatur seu inferatur.

Q.

Q. 4.

Q. 4. Quænam huc pertinent? R. Propositio *Causalis* seu *Rationalis:* ut, *Quia Sol lucet, dies est;* Cum hac solâ differentiâ, quod in Causali vera Antecedens & verum est, & Causa cur Consequens sit verum; quorum neutrum ad Conditionalem requiritur.

Enunciatio COPULATIVA est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Copulativâ: ut, *Homo est rationalis & brutum est irrationale. Nec brutum est nobilius homine, nec homo angelo.* Possunt autem partes ejus habere, vel idem Subjectum; ut, *Socrates est Philosophus & justus;* vel idem Prædicatum; ut, *Socrates & Aristides sunt justi;* vel utrumque diversum: ut, *Socrates est Philosophus, & Aristides est justus.* Estque tum demum *vera*, cùm omnes ejus Partes veræ sunt, *ut in præced. patet: falsa*, cùm aliqua pars est falsa, licèt reliquæ sint veræ: ut, *Homo est animal rationale & volatile.* Ratio est, quia omnes partes per Copulativam simul astruuntur.

Q. 5. Quænam huc referuntur? R. Propositio *Adversativa* seu Discretiva: ut, *Quamvis Deus est misericors, est tamen justus.* Nam resolvitur in hanc, *Deus est misericors & est justus.* Item Relativa seu Comparativa; tum Rei; ut, *Socrates tam doctus est, quàm Plato,*

 huic

huic æqualens, *Socrates & Plato sunt æquè docti*; tum Loci; ut, *Ubi Socrates legit, Plato disputat*; tum Temporis; ut, *Dum Socrates legit, Plato disputat*, i. e. *Eodem loco vel tempore & Socrates legit & Plato disputat*; aut *Socrates legit & Plato simul disputat*.

Enunciatio DISJUNCTIVA est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Disjunctivâ: ut, *Aut dies aut nox est*. Ut vera sit Disjunctio, partes ejus debent esse *immediatè oppositæ*. Nam, si non sint *oppositæ*, erit *nugatoria*, vel potiùs nulla: ut, *Socrates est homo aut animal*; est enim utrumque. Et si non sint *immediatè oppositæ*, erit *falsa*: ut, *Pax est aut bellum*; nam possunt esse *Induciæ*. Unde Enunciatio Disjunctiva est *vera*, cujus aliqua pars vera est; *falsa*, cujus omnes sunt falsæ.

Nota, Enunciationes Hypotheticas modificari posse, ut & Modales fieri Hypotheticas: ut, *Necesse est, ut si homo est animal, sit vivens. Necesse est hominem esse rationalem & risibilem. Necesse est hominem esse rationalem aut irrationalem*, &c. Item, *Si necesse est hominem esse animal, necesse est illum esse sensitivum. Si necesse est hominem esse sensitivum, impossibile est eum esse incorporeum*, &c. *Aut necesse est hominem esse rationalem aut irrationalem. Aut necesse est Solem*


aut

sunt
So-
em-
Plato
e &
So-

ujus
ali-
nox
ejus
am,
vel
aut
non
ut,
In-
ctiva
fal-

mo-
ypo-
o est
inem
se est
alem,
esse
vum.
im-
Aut
ut ir-
lem ;
aut

Tabula Oppositarum HYPOTHETICARUM.




Tabulis Explicandis en Distichon.

AndrOgEI contradicunt; Contraria mAgnEs:
ffIO subcontraria sunt; CApIEndO Subalter.
In vocibus AndrOgEI, mAgnEs, ffIO, CApIEndO;
vocales A. E. I. O *sic denotant,*

A. Omne, seu prop: universalem Affirmativam.
E. Nullum, seu universalem Negativam.
I. Aliquid, seu Particularem Affirmativam.
O. Aliquid non, seu Particularem Negativam.
juxta Vulgares Rythmos;

Asserit A, Negat E; verum Generaliter ambæ:
Asserit I; Negat O; sed Particulariter ambo.



In quâ 4 Syllabæ cujuslibet vocabulorum PUrpUrEA, IlIAcE; AmAbImUs, EdEntUlI, 4 Modos significant, sc: 1.ª Poßibile; 2.ª Contingens; 3.ª Impoßibile; 4.ª Necesse: quatuor vero vocalium in illis existentium A, denotat Utrumq; (Dictum sc: et Modum) affirmari; U utrumq; Negari; E affirmari Modum, negari Dictum; I negari Modum, affirmari Dictum; juxta versus,

Destruit U totum; sed A confirmat Utrumq;:
Destruit E Dictum; destruit I q; Modum.

aut possibile est terram moveri. &c.

II. DIVISIO ENUNCIATIONIS.

I. Quoad *Qualitatem* Enunciatio est *Affirmativa* vel *Negativa*.

Κατάφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος. *Arist. de Int. c.6.*

AFFIRMATIO est Enunciaito alicujus de aliquo. *i. e.* in qua prædicatum affirmatur de subjecto: ut, *Aristoteles est Philosophus.*

Ἀπόφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος.

NEGATIO est Enunciatio alicujus ab aliquo, *i. e.* in qua prædicatum removetur à Subjecto: ut, *Vitium non est amandum*

Utraque est *Finita* vel *Infinita.*

Enunciatio *Finita* est, quæ constat Subjecto & prædicato Finitis: ut. *Virtus est maximè appetenda.*

Enunciatio *Infinita* est, quæ constat subjecto, vel prædicato, vel utroque infinito. Subjecto: ut, *Non ens excluditur à prædicamentis.* Prædicato: ut, *Socrates fuit non avarus.* Utroque: ut, *Non animal est non homo.*

Q. 6. Quando est Enunciatio *Negativa*, & quando *Infinita?* R. Si particula negandi *non* in signo quantitatis aut in Modo includatur, eisve atque adeo toti Orationi, aut principali Copulæ (verbove adjectivo vim Copulæ ha-

benti) immediatè præponatur, Enunciatio tam Simplex quàm Composita, Pura & Modalis, *Negativa* erit, *nisi par Negationum numerus adsit*, *qui censetur affirmare (nam impares semper negant) aut ipsa Negatio vicem Termini sustineat in Enunciatione*; *ut hic*, Non est Terminus Syncategorematicus, *quæ est Affirm: Finita*. At si ponatur immediatè ante Subjectum aut Prædicatum, eorumve partem aliquam, erit *Infinita*. *Modi Affirm: sunt* Necesse *&* Contingens, *Negativi*, Impossibile *&* Possibile. *Id enim* Possibile *hic dicitur*, *quod nondum est*, *sed potest esse*.

Negativæ ergo Enunc: sunt hæ. 1. Particulâ negandi in signo modove inclusâ, Pura. *Nullum vivens est lapis*. Modalis, *Impossibile est vivens esse lapidem* (nam æquivalet priori) Exponibilis, *Nullus homo est tantùm sensitivus*. &c. Hypothetica, *Nullus angelus est, aut albus aut niger*, &c. 2. Aut eis præpositâ, adeoque toti Orationi: ut, *Non omnis homo est sapiens* (huic enim æquivalet, *Aliquis homo non est sapiens*, quæ ad tertium membrum pertinet; sicut *nullus* in prioribus resolvi potest in *non ullus*; & ad hoc reduci) *Non possibile* (i. e. *Impossibile*) *est hominem esse irrationalem*, &c. *Non solus homo est animal*. *Non aliquod* (i. e. *nullum*) *animal præter* ho-

hominem est rationale, &c. *Non si Socrates est homo, est sapiens. Non aut pax est aut bellum.* &c. 3. Aut principali Copulæ: ut, *Lapis non est vivens. Quod est factum, non est æternum. Hominem esse doctum non est necesse. Sola corpora cœlestia non sunt corruptibilia.* &c. *Si Socrates est prudens, non est vitiis deditus. Petrus non est aut sapiens, aut stultus*, &c. Verbove adjectivo vim Copulæ habenti: ut, *Bruta non valent ratione. Brutum esse rationale non contingit* &c. *Plato disputat & ambulat.* &c. At hæc, *Nullus homo non est rationalis*, propter duas negationes, quarum prior negat posteriorem, eamque tollit, censetur *Affirmativa:* hæc verò, *non nullus homo non est doctus*, ob imparem Negationum numerum, est *Negativa*, huic æquivalens, *Aliquis homo non est doctus.*

Infinitæ sunt hæ. 1. Ex parte subjecti, *Quidam non doctus est justus. Omne animal non rationale est bestia. Quod non est factum, est æternum. Hominem non esse lapidem est necesse* (nam constat subjecto, nempe Dicto, negativo seu infinito; ac proinde formaliter, & ut Modalis, est *Infinita:* vulgo tamen pro *Negativâ* habetur, quia talis est virtualiter & quoad Dictum, quod est præcipuum in Enunc. Similiter & hæ, *Non tantùm homo est sensitivus. Omne animal, non præ-*

ter hominem, est mortale. Socrates, non quatenus philosophus, legit; licet quoad formam videantur esse *Infinitæ*; tamen quia formaliter negant & excludunt restrictionem seu limitationem, quæ in hisce Enunc. præcipuè attenditur, easque constituunt ac denominant, *Negativæ* Exponibiles esse censentur.) *Si numerus non est par est impar*; nam resolvitur in hanc, *Numerus non par est impar*: (ut è contra hæc, *Si numerus est par, non est impar*, est Neg. quia in hanc resolvitur, *Numerus par non est impar.*) *Aliquis homo non doctus est aut Musicus aut non Musicus.* &c. 2. Ex parte prædicati: ut, *Ulysses erat non formosus. Adamus potuit non peccare. Hominem esse doctum est non necesse.* &c. *Si nix est alba est non nigra. Socrates est aut non ebriosus aut non probus.* &c.

Regula Enunciationum Affirm.& Neg.

In materiâ necessariâ Enunciationes Affirm. sunt semper *Veræ*, neg. *Falsæ*; in Impossibili è contra (*exceptis Modalibus* Contingenti *&* Possibili, *quæ utrobique sunt* Falsæ:) At in materiâ *Contingenti*, tam Aff. quam Neg. *Veræ* vel *Falsæ* esse possint (*præter* Necessariam *&* Impossibilem, *quæ semper sunt* Falsæ; dummodo *Affirmatio & Negatio in his & prioribus Modalibus, penes nudum* Mo-

dum

dum æstimetur. Quod ex ſenſu & ſignificatione Modorum, non ex illorum qualitate oritur.)

III. *DIVISIO ENUNCIATIONIS.*

III. Quoad *Quantitatem* Enunciatio eſt *Univerſalis, Particularis, Indefinita, & Singularis.*

Καθόλȣ ἐϛι τὸ παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν [σημαῖνον] Enunciatio VNIVERSALIS eſt, quæ omni aut nulli ineſſe *aliquid ſignificat*; i. e. cujus ſubjecto præfigitur ſignum Univerſale, aut prædicatum eſt Modus univerſalis. (*Modi univerſales ſunt* Neceſſe & Impoſſibile: *Particulares*, Contingens & Poſſibile. *Hi denotant quantitatem* Loci & Temporis; *Signa verò quantitatem* Numeri:) ut, *Omnis homo eſt diſciplinæ capax. Nullus homo eſt irrationalis. Omne Animal præter hominem eſt irrationale.* &c. *Lapidem eſſe inanimatum eſt neceſſe. Plantam eſſe ſenſitivam iſt impeſſibile.* *Ariſt. l. 1 Prior. c, 1.*

Ἐν μέρει ἐϛι τὸ τινί, ἢ μὴ τινί, ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν [σημαῖνον] Enunciatio PARTICULARIS eſt, quæ alicui, aut non alicui, aut non omni ineſſe *aliquid ſignificat*, i. e. cujus ſubjecto præfigitur ſignum particulare, aut prædicatum eſt Modus particularis: ut, *Aliquod animal eſt rationale. Aliquis homo non eſt doctus. Ali-* *Ibid.*

quod animal præter hominem est bipes &c. *Hominem esse doctum est contingens vel possibile.* Particula *non alicui* æquivalet *nulli* (*v. post. de Æquipoll.*) & sic designaretur Enunciatio Univerſ. Ideo invertenda eſt, ut ſit *alicui non*; quæ æquipollet *non omni*. His verò indigitâſſe videtur Ariſt. *Enunciationem eſſe Particularem, quæ alicui vel aliquibus* (*modo non omni*) *ineſſe aut non ineſſe aliquid ſignificat.* Nam aliqua Signa Particularia efficiunt Enunciationes, etſi non univerſales, proximas tamen univerſalibus: ut, *Plerique divites ſunt avari.*

Ibid: Ἀδιόριστον ἐστὶ, τὸ ὑπάρχειν ἢ μὴ ὑπάρχειν, ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος [σημαῖνον] Enunciatio INDEFINITA eſt, quæ ineſſe aut non ineſſe aliquid, ſine univerſali particularive *notâ ſignificat*, i. e. cujus ſubjecto communi (perſonaliter ſumpto) nullum ſignum præfigitur: ut, *Homo eſt doctus. Arbor eſt bona aut mala.* &c. *Dicitur autem* Indefinita, *non quòd nullam definitam quantitatem in ſe habeat, ſed quia nullo ſigno illa definitur; ideòque de ſe indifferens eſt ad Univerſ. & Partic. & ex materia determinatur. Eſt enim* REGULA.

Prop. Indefinita in materiâ Contingenti æquivalet particulari: at in neceſſariâ vel impoſſibibili, univerſali; (*i. e.* in materiâ *Neceſſariâ* Affirmativa æquiva-

let

let Univers. Aff. & in *Impossibili* Negativa æquivalet Univ. Neg. non aliter:) ut, *Homo est doctus*; i.e. *Aliquis homo est doctus. Homo est animal*; i.e. *omnis ho- est animal. Homo non est incapax doctrinæ*, i.e. *Nullus homo est incapax doctrinæ.*

Enunciatio SINGULARIS est, quæ constat subjecto singulari, i.e. Individuo quovis modo determinato: ut *Petrus ambulat. Hic homo disputat. Sophronisci filius est doctus. Philosophus ita docet.*

Modalium *Quantitas attenditur, vel penes* Dictum *& est ut in Puris: vel penes* Modum; *ut ante. Unde hæc*, Aliqua scandala esse est necesse, *ex parte Dicti est partic. & ex parte Modi Univers: at* Omnem hominem currere est contingens, *est è contra; adeoque pro Mixtis ab aliquibus habentur. Veriùs tamen & simpliciùs dicitur*, Omnem Modalem sequi quantitatem sui Modi; *ita ut quæ modum habet universalem sit univers. & particularis, quæ particularem; quicquid sit de Dicto.*

Exponibiles *omnem quantitatem admittunt; ut ex prioribus Exemplis patet.*

Hypotheticæ *eandem quantitatem sortiuntur, quam* Categoricæ, *quibus vel innituntur, ut* Conditionales, *(v. de Hypoth. resol.) vel constant. Unde* Copulativa *&* Disjunctiva *omnis quantitatis capaces sunt: ut ex*

ex antedictis patet. Hoc tamen peculiare habet Copulativa, *quod quando subjecta partium distinctè efferuntur, possit esse Mixta, vel ex univ, & part. ut,* O. homo currit & A. leo rugit. O. homo & A. brutum sunt bipedes. O. homo est rationalis & A. homo est doctus, *vel ex Univ. & Indef. aut Sing. vel ex Part. & Ind. aut Sing. vel denique ex Indef. & Sing.*

Hactenus de Enunciationis *Divisionibus.*

AFFECTIONES Enunciationum vel ipsarum *Terminis*, vel ipsis *Enunciationibus* conveniunt.

Affectiones *Terminorum* Enunciationis sunt SUPPOSITIO, AMPLIATIO, RESTRICTIO, & APPELLATIO.

De SUPPOSITIONE.

SUPPOSITIO est acceptio Termini pro aliquo: ut hîc, *Omnis homo est animal*, Term. *Homo* capitur pro *Johanne, Petro*, &c. Vocatur *Acceptio Vocis.*

Q. Unde dicta est *Suppositio?* R. Ex eo, quod vox in oratione *supponatur*, i.e. substituatur in locum Conceptûs. *Nam quia conceptus nostros aliis videndos exhibere non possumus, illorum loco vocibus utimur, tum ad res ipsas, tum ad nostros de rebus conceptus illis significandos.*

Suppositio est triplex, *Materialis*, *Simplex* & *Personalis*; quæ GENERA ACCEPTIONIS vulgo vocantur.

Suppositio MATERIALIS est acceptio Termini pra ipsâ voce: ut hîc, *Homo est dissyllaba dictio*; *Homo* accipitur pro ipsâmet voce, non pro re significatâ. Dicitur *Materialis*, quia vox est veluti Materia, & Significatio ejus quasi Forma Termini. Vocatur etiam *Technica*, i.e. *artificiosa* (quia in Terminis artis illâ præcipuè utimur) vel *dolosa* (quia est ad fallendum apta) & indicatur, vel art. Gr. τὸ, vel *li* (Gall. antiquo à Parisiensibus in scholis usurpato) ut τὸ vel *li homo*, i. e. vox *Homo*.

Suppositio SIMPLEX est acceptio Termini pro suo immediato significato tantùm, i. e. pro eo, quod res significata præcisè habet ut est *Cognita*, seu prout substat *Notionibus* aut *Intentionibus secundis*. Dicitur *Simplex*, quia rem ut nudè & simpliciter cognitam, sive ut unam & Simplicem denotat.

Terminus *Singularis* supponit *Simpliciter*, quando non datur *Ascensus*, i.e. non possunt inferri sua Superiora; *Communis* verò, cùm non datur *Descensus*, i.e. non possunt inferri sua Inferiora: ut, *Petrus* in ista, *Petrus est individuum*. Nam non licet inferre; ergo *Homo*, ergo *Animal*, &c. *est individuum*. Et *Homo* in

istâ

istâ, *Homo est species.* Nam non licet inferre; ergo *Petrus vel Paulus* &c. *est species.* Et sic de cæteris, quibus proprietas aliqua Dialectica attribuitur; quæ hinc dicuntur supponere *immobiliter.*

Regula I.

Supp.. Materialis & Simplex Enunciationem reddunt *Singularem.*

Suppositio PERSONALIS est acceptio termini pro suo mediato significato, i.e. pro eo, quod res significata habet *secundum se*, seu prout non substat *Notionibus* seu *Intentionibus secundis.* Dicitur *Personalis*, quia naturam ut in singularibus Existentem (seu *personam*) denotat.

Terminus *Singularis* supponit *Personaliter*, quando datur *Ascensus*, i. e. possunt ferri sua Superiora; & dicitur *Supp. Discreta: Communis* verò, cùm datur *Descensus*, i. e. possunt inferri sua Inferiora; & dicitur *Supp. Communis*: ut, *Petrus* in istâ, *Petrus currit.* Licet enim inferre; Ergo *Homo*, ergo *Animal*, &c. *currit.* Et *Homo* in istâ, *Homo currit*; quia licet inferre; ergo *Petrus* vel *Paulus*, &c. *currit.* Et idem est de Denominatis respectu Denominativorum, quorum quasi Inferiora sunt: ut, *Paries*, *Nix*, &c. respectu *Albi.* Cùm enim dico, *Album videtur*, licet infer-

re,

re, ergo *Paries* vel *Nix*, &c. *videtur.* Huc revocantur etiam *Species* & *Individua* respectu *Differentiæ Essentialis*, quæ ad illa comparata est Terminus *Denominativus*.

Regula 2.

Quandocunq; Termino communi licet Signum præfigere, manente eodem sensu, supponit ille *Personaliter* ; alias *Simpliciter*.

Supp. Personalis Communis est 4. *Universalis*, seu *Distributiva*, *Copulata* seu *Collectiva*, *Determinata* seu *Disjunctiva*, & *Confusa* seu *Disjuncta* ; quæ absolutè vocantur SPECIES SUPPOSITIONIS.

Supp. *Universalis* seu DISTRIBUTIVA est acceptio termini pro omnibus suis Inferioribus seorsim sumptis : ut accipitur Subjectum hujus , *Omnis homo est animal.* Resolvitur enim sic, *Petrus est animal*, & *Johannes est animal*, &c. si *Animal* singulis Inferioribus subjecti, per Conjunctionem Copulativam enumeratis, *seorsim* attribuendo. Et dividitur In univ. pro *Generibus Singulorum* & pro *Singulis Generum.*

Supp. Univ. pro *Generibus Singulorum* est acceptio termini pro omnibus Generibus seu Speciebus, non autem pro omnibus Individuis : ut Subj. hujus, *Omne animal*

animal fuit in arca Noæ. i. e. *Omne genus aut species animalis : non omne Individuum*; quia multa diluvio perierunt. vel sic, *Cujuslibet speciei aliquod individuum ibi fuit*; *non autem omne.*

Suppositio Universalis pro *Singulis Generum* est acceptio termini pro omnibus suis Individuis : ut Subj. hujus, *Omnis homo est animal.* Prior dicitur *Incompleta*; posterior *Completa.* Utraque est *Absoluta* vel *Accommoda.*

Supp. Univ. *Absoluta* est, ubi nulla intelligitur exceptio : ut *in subjectis allatorum Exempl.*

Supp. Univ. *Accommoda* est, ubi aliqua intelligitur Exceptio: ut hîc, *Omnes in Adamo peccaverunt*, sc. *præter Christum.*

Regula 3.

In Enunciationibus Universalibus subjectum ; in Negativis prædicatum sumitur *Distributivè* seu supponit *universaliter.* *Nota, non tantum signa Neg. sed & omnes dictiones Negationem sua significatione includentes* (*ut particulæ* sine, absque, &c. *& verba Carentiæ & Privationis*; *ut*, Egeo, careo, *&c.*) *distribuunt omnia se sequentia.*

Suppositio *Copulata* se COLLECTIVA est acceptio termini pro omnibus suis Inferioribus simul sumptis : ut, Subjectum hujus, *Omnia Elementa sunt* 4. Resolvitur enim, *Ignis & aer & aqua &*

terra

terra sunt 4. non sic, *Ignis est* 4. &c. si 4. omnibus Inferioribus subjecti *conjunctim*, non singulis seorsim attribuendo.

Regula 4.

Subjectum Enunciationis, in qua vel ipsum, vel Prædicatum ejus, est vox numerum significans, sumitur *Copulatim* seu *Collective*. *Efficitque Propositionem singularem, quia Signum ejus est pars subjecti.*

Suppositio *Determinata* seu DISJUNCTIVA est acceptio termini pro aliquo suorum Inferiorum *Disjunctivè* sumptorum: ut Subject. hujus, *Aliquis homo est probus*. Resolvitur enim, *vel Petrus est probus, vel Johannes est probus*, &c. si *probus* singulis Inferioribus subjecti, per Conjunct. *Disjunctivam* enumeratis, *seorsim* attribuendo.

Regula 5.

Utrumque Extremum Enunciationis part. (vel sing.) Affirm. (nisi vox *necessarium* vel *requiritur* addatur;) & subjectum Negativæ sumitur *Determinatè*.

Suppositio *Confusa* seu DISJUNCTA est acceptio termini pro omnibus suis Inferioribus *Disjunctivè* sumptis: ut prædicatum hujus, *Omnis homo est animal*. Resolvitur enim, *Omnis homo est hoc vel istud vel illud vel aliud animal*. Non sic, *Omnis homo est hoc animal*, *vel Omnis* homo

homo est istud animal, &c. li *homo* omnia prædicata Inferiora per Conjunctionem *Disjunctivam* enumerata *conjunctim*, non singula *seorsim* attribuendo. Nam sic esset falsum. *Voces* Requiritur, Necessarium est, *& his æquivalentia, faciunt terminum, cui apponuntur, supponere* Confusè: *ut*, Aliquis equus requiritur ad equitandum. *Unde dicuntur* Termini specialis confusionis.

Regula 6.

Enunciationis Universalis Affirm. Prædicatum sumitur *Confusè.* Excipe *Exclusivam*, cujus Prædicatum distribuitur; quia est virtualiter negativa.

Nota, quod in Enunciationibus *Indefinitis* Termini eodem modo supponunt, quo in *Universalibus* & *Particularibus*, quibus æquivalent.

De AMPLIATIONE & RESTRICTIONE.

AMPLIATIO est extensio Suppositionis termini ultra statum suum.

Q. 1. Quid est *Status* termini? R. est Suppositio ejus pro iis tantum significatis suis, quæ sunt in differentiâ temporis per Copulam importatâ: ut in ista, *Aliquis homo loquitur*, li *homo* habet statum suum, quia supponit pro homine nunc tantum existente. *Ampliatur* verò, cùm

cùm Suppositio ejus extenditur ad plures in aliis differentiis temporis existentes; ut, *qui fuerunt vel erunt*, &c.

Q. 2. Quotuplex est *differentia temporis*, prout hìc spectatur? R. Quintuplex, sc. *Præsens*, *Præteritum*, *Futurum*, *Possibile* & *Imaginarium*. Unde cùm contingat Terminum ad *duas*, *tres*, *quatuor* vel *omnes has differentias* ampliari, quadruplex erit *Ampliatio termini*.

1. Ad duas temporis differentias; idque dupliciter. 1. Ad *Præsentia* & *Præterita:* ut, si *sedens* in istâ *Sedens surrexit*, i.e. qui sedet aut sedebat. 2. Ad *Præsentia* & *Futura:* ut, si *vivens* in istâ; *Vivens morietur*, i.e. qui vivit aut vivet. Verba *Præteriti* temporis semper ampliant Subjectum ad præsentia & præterita; & *Futuri*, ad præsentia & futura.

2. Ad tres temporis differentias, sc. ad *Præsentia*, *Præterita*, & *Futura:* ut, si *natus* in istâ; *Omnis natus morietur*, i. e. qui est, fuit vel erit natus. Verba *Futuri* temporis hoc modo ampliant Subjecta *Præteriti*.

3. Ad quatuor temporis differentias, sc. ad *Præsentia*, *Præterita*, *Futura* & *Possibilia:* ut, si *flos* in ista; *Flos est corruptibilis*, i.e. qui est, fuit, erit aut potest esse. Verbum *potest*, & nomina ac verba illud includentia, hoc modo semper ampliant Subjecta.

4. Ad omnes temporis differentias, sc. ad *Præsentia*, *Præterita*, *Futura*, *Possibilia* & *Imaginaria*: ut, li *opes* in istâ; *Avarus appetit opes*, i. e. quæ sunt, fuerunt, erunt, possunt esse vel imaginari. Verba *Appetendi* & *Intelligendi* hoc modo semper ampliant terminum, cui velut Objecto applicantur.

RESTRICTIO est coarctatio suppositionis termini infra statum suum, i. e. ad pauciora significata, quàm pro statu suo habere possit. Quod fit per aliquid illi additum, sc. vel Pronomen Relativum, quod *Copula Implicationis* appellatur; ut, *Homo, qui sapiens est, pauca loquitur*; vel Nomen Adjectivum; ut, *Homo sapiens pauca loquitur*; vel Substantivum inferius; ut, *Rex Alexander devicit orbem*; vel Casum obliquum; ut, *Omnes libri Aristotelis sunt lectu dignissimi*. In quibus Subjecta restringuntur per addita ad supponendum pro paucioribus, quàm aliter significarent.

Huic affines sunt DIMINUTIO, ALIENATIO & DISTRACTIO.

DIMINUTIO est, cùm additum coarctat Suppositionem Termini ad partem sui significati: ut in istâ, *Æthiops est albus dentes*; li *albus* diminuitur per additum li *dentes*.

Terminus diminutus appellatur *Dictum secun-*

ſecundùm quid; non diminutus, *Dictum ſimpliciter*.

ALIENATIO eſt, cùm additum coarctat Suppoſitionem Termini ad ſignificatum ſuum improprium: ut, in iſtâ, *Homo pictus eſt in aulâ*; li *homo* alienatur per additum li *pictus*:

DISTRACTIO eſt, cùm Subjectum non ſupponit pro differentiâ temporis per Copulam importatâ; ſed per additum ab illâ ſignificandâ diſtrahitur: ut li *homo* & li *cæcus* in iſtis, *Homo eſt mortuus*; *Cæcus videt*, i. e. qui fuit *homo* vel *cæcus*; non qui eſt.

De his omnibus eſt REGULA.

Ut in prædictis valeat Conſequentia, debet ſupponi CONSTANTIA Subjecti, i. e. quòd exiſtat; aliàs erit de *Subjecto non ſupponente*: ut, non valet, *Omnis homo loquitur*; ergo, *Homo albus loquitur*; niſi ſupponatur eſſe aliquem hominem album.

DE APPELLATIONE

APPELLATIO eſt applicatio ſignificati formalis unius Termini ad ſignificatum (materiale vel formale) alterius: ut, *Grammaticus eſt obeſus*. Ubi li *obeſus* appellat ſupra ſignificatum materiale, non formale, li *Grammatici*. *Fideles in hac vitâ tantùm patientur afflictiones*. Ubi li *tantùm* appellat, vel ſupra li *patientur af-*

 flictiones

flictiones, & efficit hunc ſenſum falſum, *quòd mala tantùm, & nihil boni à Deo in hac vitâ recipient*; vel ſupra voces, *in hac vitâ*, & efficit hunc ſenſum verum, *quòd in hac vitâ tantùm, & non in futurâ, patientur afflictiones.*

Affectiones ipſarum *Enunciationum* ſunt tres, OPPOSITIO, ÆQUIPOLLENTIA & CONVERSIO.

DE OPPOSITIONE.

Ariſt. de Int. c. 6. Αἱ ἀποφάνσεις ἈΝΤΙΚΕΊΜΕΝΑΙ εἰσι κατάφασις καὶ ἀπόφασις τοῦ αὐτοῦ, κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως δέ. Enunciationes OPPOSITÆ ſunt affirmatio & negatio ejuſdem de eodem, & non æquivocè, i. e. quæ conſtant eodem ſubjecto & prædicato, non æquivocè ſumpto: ut, *Omnis homo eſt doctus*, &, *Nullus homo eſt doctus.* Additur *non æquivocè*; quia ſi ſubjectum aut prædicatum ſumatur in diverſâ ſignificatione vel diverſimodè (i. e. non *ſecundùm idem, ad idem, eodem modo, & de eodem tempore*. v. part. 1. de Repugn.) non erit de (omnino) eodem, & ſic tolletur Oppoſitio. Unde, *Canis latrat*, &, *Canis non latrat*, non ſunt Enunciationes Oppoſitæ; ſi Subjectum *Canis* illic ſumatur pro *domeſtico*, hìc pro *cæleſti*.

Enunciationes Oppoſitæ ſunt CONTRARIÆ, SUBCONTRARIÆ & CONTRADICTORIÆ.

Αἱ ἀποφάνσεις ἘΝΑΝΤΙΑΙ εἰσιν ὅταν καθόλε ἀποφαίνηταί τις ἐπὶ καθόλε, ὅτι ὑπάρχει ἢ μή. *Ibid: c. 7. §, 2.*

Enunciationes CONTRARIÆ sunt, quando universaliter de re universali enunciat quis inesse aliquid aut non inesse, i.e. sunt Oppositæ Universales: ut, *Omnis homo est doctus*, &, *Nullus homo est doctus. Necesse est hominem esse animal*, &, *Impossibile est hominem esse animal.*

Huc reducitur Oppositio inter Universalem & singularem vel (ex Communi & Particulari) mixtam: ut, *Omnis homo currit*, &, *Petrus non currit*, vel, *Plerique (*aut *Aliqui) homines non currunt.* Quia illis convenit Lex Contrariarum, *solo Johanne non currente. v. Legem.* 4.

Αἱ ἀποφάνσεις ὙΠΕΝΑΝΤΙΑΙ, εἰσιν, ὅταν ἐπὶ τῶν καθόλε μὲν, μὴ καθόλε δὲ, ἀποφαίνηταί τις. *Ibid.* §. 3.

Enunciationes SUBCONTRARIÆ sunt, quando de Universalibus non universaliter enunciat quis, i. e. sunt Oppositæ particulares: ut, *Aliquis homo est doctus*, &, *Aliquis homo non est doctus.*

Hæ κατὰ τὴν λέξιν ἀντίκεινται μόνον, ἐ κατ' ἀλήθειαν, *quoad vocem tantum opponuntur (*inquit Arist.) *non revera; quia non habent idem subjectum. Nam per li* Aliquis homo *in una & alia Enunciatione alius & alius homo intelligitur; non idem: (alias essent* Contradictoriæ singulares; *de quibus mox.) Et hinc præterea* possunt esse *Arist.pr. l.2.c.15. §. 1.*

ſimul veræ (*v. Leg.5.*) *at veritas veritati non opponitur, quia unica eſt & ſimplex.*

Ariſt. de Int. c.7. §.5.

Αἱ ἀποφάνσεις ἈΝΤΙΦΑΤΙΚΑῚ εἰσιν, ἡ τὸ καθόλε σημαίνεσα, τῇ τὸ αὐτὸ, ὅτι ἐ καθόλε, Enunciationes CONTRADICTORIÆ ſunt, quarum altera univerſaliter ſignificat, altera de eodem verò non, i. e. ſunt Oppoſitæ, quarum una eſt Univerſalis, altera Particularis: ut, *Omnis homo eſt doctus*, &, *Aliquis homo non eſt doctus. Impoſſibile eſt hominem eſſe doctum*, &, *Contingit hominem eſſe doctum.*

Huc reducuntur Oppoſitæ *Singulares*: ut, *Petrus currit*, &, *Petrus non currit*; quia illis convenit Lex Contradictoriarum. *v. Leg.* 3. (*ſub nullâ enim ſpecie, ab* Ariſt. *definitâ, directè continentur*; *quia ille deſcribit tantùm Oppoſitas* Subjecto Communi *conſtantes, in ordine ſc. ad Scientias, quæ agunt tantùm de Univerſalibus*)

Q. Quo reducendæ ſunt Oppoſitæ *Indefinitæ?* R. Cùm *Indefinitæ* pro materiæ diverſitate vel Univerſalibus vel Particularibus æquivaleant, ad *Contrarias* vel *Subcontrarias* reducuntur. Unde, *Homo eſt animal*, &, *Homo non eſt animal*, ſunt Contrariæ: *Homo eſt juſtus*, &, *Homo non eſt juſtus*, Subcontrariæ.

De *Hypotheticarum* & *Exponibilium* Oppoſitione hæ ſint REGULÆ.

Si

R. 1. Si Hypoth-ti æ & Exponibilis *Signis Quantitatis* ffi-iantur, quoad illa idem e o judicium c his, ac de aliis. A às;

R. 2. Si Nota Negationis Conjunctioni Hypotheticam constituenti immediatè, vel mediante solâ Copulâ (aut verbo Adjectivo vim Copulæ habente) præponatur, *Contradictoria* erit talis Hypothetica suæ Affirmativæ; sin alibi posita Negativ m constituat, erit *Contraria* vel *Subcontraria*.

Contradictoriæ proinde sunt hæ. *Si Socrates est homo est doctus*, &, *Non si Socrates est homo est doctus*. *Si Socrates est homo, non est doctus*, &, *Non si Socrates est homo, non est doctus*. (v. mox. de Resol.) Et *Socrates & Phalaris* (i. e. uterque) *est justus*, &, *Non & Socrates & Phalaris* (i.e. non uterque seu alter non) *est justus*. v. de Æquipoll. & Tab. 2. [Sic, *Socrates est & philosophus & injustus*, &, *Socrates non est & philosophus & injustus*] *Et Socrates & Phalaris non* (i. e. uterque non seu neuter) *est justus*; &, *Non & Socrates & Phalaris non* (i. e. non uterque non, seu non neuter, i. e. alter) *est justus*, v. ibid. *Aut dies aut nox* (i. e. alterum) *est*, &, *Non aut dies aut nox* (i. e. non alterum seu neutrum) *est*. [Sic, *Pica est aut alba aut nigra*, &, *Pica non est aut alba aut nigra*. *Socrates disputat Categoricè vel Hypotheti-*

cè, &, *Socrates non disputat Categoricè vel Hypotheticè Aut dies aut nox non* (i.e. alterum non) *est*, &, *Non aut dies aut nox non* (i.e. non alterum [seu neutrum] non, i.e. utrumque) *est*. Adeoque his omnibus convenit *Lex Contradictoriarum*. v. *Leg*. 3.

Contrariæ hæ. *Si Socrates est homo, est doctus*, &, *Si Socrates est homo, non est doctus* (v. mox. de Resol:) *Socrates & Phalaris* (i. e, uterque) *est justus*, &, *Socrates & Phalaris non* (i. e. uterque non seu neuter) *est justus*. (v. de Æquipoll. & Tab. 2.) &, *Socrates non est justus, & Phalaris est justus*, i. e hic non. Sic, *Non aut dies aut nox* (i. e. non alterum seu neutrum) *est*, &, *Non aut dies aut nox non* (i. e. non alterum [seu neutrum] non i. e. utrumq;) *est*. v. ibid. Adeoque illis convenit *Lex Contrariarum*. v. *Leg*. 4.

Subcontrariæ hæ. *Non si Socrates est homo, est doctus* &, *Non si Socrates est homo, non est doctus*. (v. mox, de Resol.) *Non & Socrates & Phalaris* (i. e. non uterque seu alter non) *est justus*; &, *Non & Socrates & Phalaris non* (i. e. non uterque non, seu non neuter i. e. alter) *est justus*. (v. de Æquipoll. & Tab 2.) *Aut dies aut nox*. (i. e. alterum) *est*; &, *Aut dies aut nox non* (i. e. alterum non) *est*. v. ibid. Adeoque

illis

illis convenit *Lex Subcontrariarum.* v. *Leg.* 5.

Nota, *Hypotheticas* in alias virtualiter in illis contentas resolvi, sc.

Conditionalis resolvitur in Propositionem, cui innititur, *juxta has Regulas.*

1. Si Subjectum Antecedentis & Consequentis sit idem, in Categoricam resolvitur, si remoto solo, cum particulâ *Si*, communi illo Subjecto, ex prædicatis (præposito signo universali) fiat Propositio: ut (1) *Si Socrates est homo est doctus*, resolvitur in hanc, *Omnis homo est doctus.* (2) *Non si Socrates est homo est doctus*, in hanc, *Non omnis homo est doctus.* i. e. aliquis non. v. de Æquipoll. (3) *Si Socrates est homo non est doctus*, in hanc, *Omnis homo non est doctus.* i. e. nullus est v. ibid. (4) *Non si Socrates est homo non est doctus*, in hanc, *Non omnis homo non est doctus.* i. e. nonnullus seu aliquis est. Tandem (5) *Si Socrates non est doctus, non est philosophus*, in hanc, *Non doctus non est philosophus.*

2. Si Prædicatum Antecedentis & Consequentis sit idem, eodem modo resolvetur, remoto communi prædicato (*loco subjecti*) & transpositis Subjectis: ut, *Si animal est sensitivum, homo est sensitivus*, in hanc, *Omnis homo est animal*; vel in Relativam; ut, *Quale est animal, talis est homo.*

3 Si Subjectum & Prædicatum sit diversum, in Relativam resolvitur, remotâ tamen particulâ *Si*: ut, *Si mundus regitur providentiâ, nihil casu fit*, in hanc, *Mundum regi providentiâ arguit nihil casu fieri*.

Disjunctiva resolvitur in Conditionalem, cujus Antecedens sit oppositum primo vel primis membris Disjunctionis & Consequens idem cum reliquo; (vel etiam in Copulativam, sc. Affirmativa in Aff. & Negativa in Neg.) ut (1) *Aut dies aut nox est*, in hanc, *Si dies non est, est nox*; vel hanc, *Non & dies & nox non est*. (*Aut pax est aut bellum aut induciæ*, in hanc, *Si non est pax nec bellum, sunt induciæ*; vel hanc, *Non & pax & bellum & induciæ non sunt. Socrates aut non est homo, aut non est irrationalis*, in hanc, *Si Socrates est homo, non est irrationalis*; vel hanc, *Socrates non est & homo & irrationalis.*) (2) *Non aut dies aut nox est*. in hanc, *Non si dies non est, est nox*; vel hanc, *Et dies & nox non est*, (*i. e. nec dies nec nox est.*) (3) *Aut dies aut nox non est*, in hanc, *Si dies est, nox non est*; vel hanc, *Non & dies & nox est*. (4) *Non aut dies aut nox non est*, in hanc, *Non si dies est, nox non est*; vel hanc, *Et dies & nox est*.

Copulativa resolvitur in Disjunctivam (sc. Affirmativa in Aff. & Negativa in Neg.)

Neg.) ut, (1) *Et Socrates & Phalaris est justus*, in hanc, *Non aut Socrates aut Phalaris non est justus.* (2) *Non & Socrates & Phalaris est justus*, in hanc, *Aut Socrates aut Phalaris non est justus.* (3) *Et Socrates & Phalaris non est justus*, in hanc, *Non aut Socrates aut Phalaris est justus.* (4) *Non & Socrates & Phalaris non est justus*, in hanc, *Aut Socrates aut Phalaris est justus.*

R.3. Omnis *Exponibilis* Negativa contraria est suæ Affirmativæ (nisi gratia signorum aliud accidat, juxta Reg. 1.) sic. *Solus homo currit*; &, *Non solus homo currit*, *Solus homo non currit*, *Non solus homo non currit*. *Prædicabilia sunt tantùm sex*; &, *Prædicabilia non sunt tantùm sex*. *Omne animal, præter asinum, est rationale*; &, *Omne animal, non præter asinum, est rationale*, *O. animal, præter asinum, non est rationale*, *O. animal, non præter asinum, non est rationale*. (*Omne non* valet *Nullum.* v. de Æquipoll.) *Omnis numerus, quà numerus, est par*; &, *O. numerus, non quà numerus, est par*, *O. numerus, quà numerus, non est par*, *O. numerus, non quà numerus, non est par*, (i. e. *nullus*) sunt *Contrariæ*, quia illis convenit *Lex Contrariarum*. v. Leg. 4.

Ut autem habeantur *Contradictoriæ*, per alias exponi debent, quibus inveniendæ sunt Contradictoriæ, juxta Regulas prece-

precedentes. Exponuntur ergo sic.

1. Exclusiva: ut, (1) *Solus homo currit*, per hanc Simplicem, *Omne quod currit est homo* (cujus Contradictoria est, *Non omne*, &c. i.e. *Aliquod non.* v. de Æquipoll.) vel per hanc Copulativam, *Et homo & nihil aliud currit* (Contradict. *Non & homo*, &c. v. Reg. 2.) vel per hanc Exceptivam, *Nihil præter hominem currit.* (2) *Non solus homo currit*; per has, *Non omne, quod currit, est homo* (supponendo *hominem currere*;) vel, *Et homo & aliquid aliud currit*, vel, *Non nihil (Aliquid) præter hominem currit.* (3) *Solus homo non currit*; per has, *O. quod non currit, est homo*; vel, *Et homo non currit, & O. aliud currit*; vel, *O. præter hominem currit.* (4) *Non solus homo non currit*; per has, *Non O. quod non currit, est homo* (supponendo *hominem non currere*;) vel, *Et homo & aliquod aliud non currit*; vel, *Non-nihil (Aliquid) præter hominem non currit.* Ex quibus simul constat, *Exclusivam* ex parte Subjecti 3 modis infirmari posse: ut, *Solus homo currit* (i. e. *Homo & nihil aliud currit*,) dicendo 1. *Hominem & aliud currere.* 2. *Hominem & aliud non currere.* 3. *Non hominem, sed aliud currere.* Sic Exclus. ex parte Prædicati: ut, *Prædicabilia sunt tantùm sex*; exponitur per hanc, *Prædicabilia*

sunt

sunt sex, *&* *non plura.*

2. Exceptiva: ut, (1) *O. animal, præter asinum, est rationale*; per hanc simp. *O. animal non rationale est asinus*; vel per hanc Copul. *Et aliquis asinus non est rationalis, & omne aliud animal est rationale*; vel per hanc Exclus. *Solus asinus non est rationalis.* (2) *O. animal, non præter asinum, est rationale*; per has, *O. animal est rationale*; vel, *Et O. asinus & O. aliud animal est rationale*; vel, *Non solùm omne animal, aliud ab asino, est rationale.* (3) *O. animal, præter asinum, non est rationale*; per has, *O. animal rationale est asinus*; vel, *Et aliquis asinus est rationalis, & O. aliud animul non est rationale*; vel, *Solus asinus est rationalis.* (4) *O. animal, non præter asinum, non est rationale*; per has, *O. animal non est rationale* (i.e. *Nullum*) vel, *Et O. asinus & O. aliud animal non est rationale* (i.e. *Nec asinus nec aliud animal est rationale*;) vel, *Non solùm O. animal aliud ab asino non est rationale.* Consimiliter de reliquis, quæ aliis signis afficiuntur.

Unde 3 modis infringitur vis *Exceptivæ*: ut, *O. animal, præter, asinum est rationale*, (i. e. *Aliquis asinus non est rationalis & o. aliud animal est rationale*,) dicendo, 1. *O. asinum & aliud animal esse rationale.* 2. *A. asinum esse rationalem*

&

& o. aliud animal non esse. 3. *Nullum asinum aut aliud animal esse rationale.* Quibus si addantur particulares Oppositæ, erunt plures adhuc: ut, 4. *Non omne animal, præter asinum, est rationale.* i. e. *Aliquis asinus & aliquod aliud animal non est rationale.* 5. *Non o. animal, præter asinum, non est rationale.* i. e. *Aliquis asinus & aliquod aliud animal est rationale,* &c.

3. Reduplicativa: ut, (1) *O. numerus, quà numerus, est par*; per hanc Copul. Causalem, *O. numerus, & quia est numerus, est par.* (2) *O. numerus, non quà numerus, est par*; per hanc, *Et o. numerus, & non quia est numerus, est par.* (3) *O. numerus, quà numerus, non est par*; per hanc, *Et o. numerus, & quia est numerus, non est par.* (4) *O. numerus, non quà numerus, non est par*; per hanc, *Et o. numerus, & non quia est numerus, non est par.* Ideoque 3 modis infirmatur, dicendo, 1. *O. numerum, non quia est numerus, esse parem.* 2. *Quia est numerus, non esse parem.* 3. *Non quia est numerus, non esse parem.* Fateor hæc aliter interpretari licere.

Enunciationibus Oppositis adjungi solent *Subalternæ.*

Enunciationes SUBALTERNÆ (ὑπάλληλαι) sunt

sunt duæ eodem Subjecto Prædicatoque constantes, quæ ejusdem sunt Qualitatis, sed diversæ Quantitatis. i. e. utraque est Affirmativa vel Negativa; sed una Universalis, altera Particularis: ut, *Omnis homo est animal*, & *Aliquis homo est animal*. *Necesse est hominem esse doctum* & *Contingit hominem esse doctum*. Quarum Universalis dicitur SUBALTERNANS; particularis SUBALTERNATA. Sic & in Hypotheticis: ut, *Si Socrates est homo, est rationalis*, &, *Non si Socrates est homo, non est rationalis*. *Si Dionysius est tyrannus, non est justus*, &, *Non si Dionysius est tyrannus, est justus*. *Et Socrates & Phalaris est justus*, &, *Non & Socrates & Phalaris non est justus*. *Et Socrates & Phalaris non est justus*, &, *Non & Socrates & Phalaris est justus*. *Non aut dies aut nox non est*, &, *Aut dies aut nox est*. *Non aut dies aut nox est*, &, *Aut dies aut nox non est*. Has certum est non opponi, cùm non sint *Affirmatio* & *Negatio*.

1. Lex *Oppositarum*.

Oppositarum opposita est ratio. Proinde, Quæ uni *Oppositarum* convenit, ea opponitur alteri; & quæ uni opponitur, ea convenit vel subalterna est alteri: & *contra*, Cui una *Oppositarum* convenit &c.

2. Lex

2. Lex *Subalternarum.*

Ex Subalternantis veritate Subalternatæ *veritas*; & ex Subalternatæ falsitate Subalternantis *falsitas* sequitur; non contra; (nisi gratia materiæ *Necessariæ* vel *Impossibilis*, in quibus ambæ semper sunt *veræ* vel *falsæ*.) Exempl. 1. Quia, *O. homo est animal*, est vera; ideo, *A. homo est animal*, vera est: At quia, *O. homo est doctus*, est falsa, non ideo, *A. homo est doctus*, falsa est. Exempl. 2. Quia, *A. planta sentit*, etiam &, *O. planta sentit*, est falsa: At quia, *A. homo currit*, non statim, *O. homo currit*, est vera. Ratio est, quia *Subalternans* includit *Subalternatam*, & aliquid amplius; ideoque plus ad *veritatem*, minusq; ad *Falsitatem* illius, quàm hujus requiritur.

3. Lex *Contradictoriarum.*

Arist. de Int. c. 7. §. 8.

Contradictoriæ simul veræ vel falsæ esse non possunt; (*sed earum altera semper vera est, altera falsa.*) Fundatur hæc Lex duobus Principiis lumine naturæ notis; sc. pars 1. hoc, *Impossibile est idem simul esse & non esse*: 2. hoc, *Quodlibet est vel non est.* Nam si tam, *Omnis homo currit* quàm, *Aliquis homo non currit*, sit vera; ille, *Aliquis homo*, sit Petrus, qui *currit* per primam, & *non currit* per secundam propositionem, quod repugnat Principio 1. Et si utraque

traque ſit falſa; ſc. prima, quia *Petrus non currit*; & ſecunda, quia *Non datur aliquis homo, qui non currit*; tum, *Nec Petrus non currit*; & ſic, *Nec currit*, *nec non currit*; quod repugnat Principio ſecundo. Hinc vulgata illa, *Contradictio dividit verum à falſo*; &, *Una Enunciatio uni tantùm Contradictoriè opponitur.* *Ibid. §. 12.*

4. Lex *Contrariarum.*

Contrariæ poſſunt eſſe ſimul *falſæ* (in materia ſc. *Contingenti*;) non ſimul *veræ*: ut, *O. homo eſt doctus*, &, *N. homo eſt doctus*. Nam in materiâ *Neceſſariâ* vel *Impoſſibili* altera ſemper *vera* eſt, altera *falſa*. Ratio Legis eſt, quia ſi Contrariæ eſſent ſimul *veræ*, tum & Subcontrariæ ſimul *veræ* eſſent, per Leg. 2. (& ſic etiam Contradictoriæ, *v. Tab.*) quin & ſimul *falſæ* eſſent, per Leg. 3. Et ſic etiam Contrariæ, atq; adeo Contradictoriæ ſimul *falſæ* eſſent, per Leg. 2. Vel, tum Singulares *Contradict.* in Contrariis contentæ ſimul *veræ* eſſent; ut, quia *O. homo eſt doctus*, etiam, *Petrus eſt doctus*: &, quia *N. homo eſt doctus*, quoque *Petrus non eſt doctus*; contra Leg. 3. Si verò Contrariæ ſint ſimul *falſæ*, non ſequitur illas ſimul *falſas* fore; per Leg. 2. *Ibid §. 6. &c. 10. §. 13.*


5. *Subcontrariarum.*


Ibid. *Subcontrariæ* possunt esse simul *veræ* (in materiâ sc. *Contingenti*, dum intelliguntur de diversis subjectis) non simul *falsæ*: ut, *A. homo est doctus*, &, *A. homo non est doctus* (diversos homines intelligendo) sunt veræ. Nam in materiâ *Necessariâ* vel *Impossibili* sunt ut Cntrariæ. Ratio Legis est, quia si Subcontrariæ essent simul *falsæ*; tum & Contrariæ simul *falsæ* essent, per Leg. 2. (& sic etiam Contradictoriæ. v. *Tab.*) quin & simul *veræ* essent, per Leg. 3. (contra Leg. 4.) & sic etiam Subcontrariæ atque adeo Contradicti simul *veræ* essent, per Leg. 2. Similiter in Singularibus Contradictoriis; nam si, *A. homo est doctus*, sit falsa; tum &, *Petrus est doctus*, erit falsa: etsi, *A. homo non est doctus*, falsa sit; etiam, *Petrus non est doctus*, falsa erit; contra Leg. 3. Si verò Subcontrariæ sint simul *veræ*, non sequitur illas simul *veras* esse, per Leg. 2.


e (in
ntelli-
on si-
r, &,
homi-
Nam
li sunt
quia si
; tum
r Leg.
riæ. *v.*
it, per
etiam
radict,
Simili-
ctoriis;
falsa;
sa: et-
t; eti-
a erit;
ntrariæ
illas si-


TAB.


Totam OPPOSITIONIS et ÆQUIPOLLENTI[Æ]
Tabulæ Oppositarum PURARUM.






III
A
E
Ubiq; homo
Nullibi homo non
non alicubi homo non
Æquipollentes
Currit
Contrariæ
Nullibi homo
Ubiq; homo non
non alicubi homo
Æquipollentes
Currit
Subalternæ
Contradictoriæ
Contradictoriæ
Subalternæ
Alicubi homo
Non nullibi homo
Non ubiq; homo non
Æquipollentes
Currit
Subcontrariæ
Alicubi homo non
Non ubiq; homo
Non nullibi homo non
Æquipollentes
Currit
I
O


IIII
A
E
Semper homo
Nunquam homo non
Non aliquando homo non
Æquipollentes
Currit
Contrariæ
Nunquam homo
Semper homo non
Non aliquando homo non
Æquipollentes
Currit
Subalternæ
Contradictoriæ
Contradictoriæ
Subalternæ
Aliquando homo
Non nunquam homo
Non semper homo non
Æquipollentes
Currit
Subcontrariæ
Aliquando homo non
non semper homo
Non nunquam homo non
Æquipollentes
Currit
I
O



DE ÆQUIPOLLENTIA.

ÆQUIPOLLENTIA est Enunciationum Oppositarum per Negationis adventum æquivalentia. *Unde pro triplici Negationis dispositione*, *sc.* Ante, Post, *vel* Ante & Post *Subjectum & Signum aut Modum*, *triplex est Æquipollentia*; *triplici* Regulâ *contenta, juxta versum.*

1 Præ, *Contradic.* 2 Post, *Contrar.*
3 Præ, Postque *Subaltern.*

R, 1. Alterutri *Contradictoriarum* præpositâ negatione, fit alteri æquipollens: ut, *Non O. homo est doctus*, &, *A. homo non est doctus*, &c. *Non impossibile est hominem esse doctum*, &, *Contingit hominem esse doctum*, &c. sic, *Necesse est omnem hominem esse animal*, &, *Impossibile est aliquem hominem non esse animal*; quia Modus prior alteram Purarum Contradictoriarum affirmat; posterior alteri negationem præfigit.

R. 2. Alteruri *Contrariarum* postpositâ Negatione fit alteri æquipollens: ut, *O. homo non est doctus*, &, *N. homo est doctus*, &c. *Necesse est hominem esse doctum*, &, *Impossibile est hominem non esse doctum*, &c.

R. 3. Alterutri *Subalternarum* præpositâ simul & postpositâ Negatione fit alteri æquipollens: ut, *Non O. homo non est*

doctus, &, *A. homo est doctus*, &c. *Necesse est hominem esse doctum*, &, *Non contingit hominem non esse doctum*, &c.

De *Subcontrariarum* Æquipollentiâ nulla datur Regula; quia alterutri illarum *præpositâ*, Negatione suæ *Contradictoriæ*; & *præpositâ* simulque *postpositâ*, suæ *Subalternæ* fit æquipollens, per Reg. præc. At *postpositâ* tantùm, *Affirmativæ* quidem suæ *Subcontrariæ* fit eadem; *Negativæ* verò, fit insolens Negationum concursus. Sed Signis in alia æquivalentia mutatis, (ut, *Aliquis* in *Non-nullus*, &, *Aliquis non* in *Non-omnis*) benè fient Æquipollentes *postponendo* Negationem, sicut Contrariis: ut, *Nonnullus (A) homo non est doctus*, &, *Non omnis homo (A. homo non) est doctus*, &c.

Tota præcedens doctrina his versibus exprimitur.

Non-omnis, *Quidam-non*: *Omnis-non* quasi *nullus*.
Non nullus, *Quidam*: sed *Nullus-non* valet *Omnis*.
Non-aliquis, *Nullus*: *Non-quidam-non* valet *Omnis*.
Neuter, *uterque* (valet) *non*: *Neuter-non* at *uterque*.
Non-alter, *Neuter*: *Non-alter-non* & *uterque*.

Lex *Æquipollentium.*

Æquipollentium ſimilis eſt ratio; quia ſunt ejuſdem *Quantitatis* & *Qualitatis*, *Veritatis* & *Falſitatis*, *Neceſſitatis* & *Contingentiæ* (proinde *Unam licet ſubſtituere loco alterius.*) Unde

Cui una Æquipollentium *æquipollet* aut *opponitur*, eidem & altera; & in quam una *convertitur*, in eandem & altera. *Et Contra*, Quæ uni Æquipollentium *æquipollet*, &c.

Q. Cum Regulæ datæ ſolas Propoſitiones ſignis Quantitatis affectas reſpiciant, quomodo *Oppoſitæ Indefinitæ* & *Contradictoriæ Singulares* reconciliandæ ſunt? R. Negationem immediatè præponendo Prædicato, ut ex Finito fiat Infinitum: ut, *Homo eſt doctus*, &, *Homo non eſt non doctus*. *Petrus non eſt doctus*, *Petrus eſt non doctus*. Eſt enim

REGULA generalis pro *Infinitarum Æquipollentia.*

Propoſitio Affirmativa Finita & Negativa Infinita ex parte Prædicati, & contra (ſi ſint ejuſdem Quantitatis) æquipollent, & una illarum ſequitur ex altera; *juxta Exempla præced.* Cum hac Cautione, quòd (1) Subjectum ſit *Ens reale actu*, (2) ſine *Reduplicatione* poſitum, (3) totum Prædicatum *Infinitum*. Quare hæ non æquipollent, ex defectu primæ, *Chimæra non eſt alba*,

& *Chimæra est non alba.* Secundæ, *Homo quà homo non est albus*, &, *Homo quà homo est non albus.* Tertiæ, *Adam potuit non peccare*, &, *Adam non potuit peccare.* In quibus prior ubique est vera, & posterior falsa.

Regula sic limitata tenet in omnibus Propositionibus. Fundatur enim Lege hac æternâ, *De quo unum Contradictoriorum affirmatur, de eo negatur alterum.* Unde cum *Doctus* & *Non doctus* sint Contradictorii, sequitur, *Homo est doctus*; ergo, *Non est non doctus*; & contra. Item, *Homo est non doctus*; ergo, *Non est doctus*; & contra.

Hinc patet quomodo Subcontrariæ *reconciliari possint*; *ut &* Contrariæ, *aliter quàm Reg. 2. præcipitur*; *Quin & Opposita omnes* Exponibiles *&* Hypotheticæ. *Signis Quantitatis non affectæ, & in quibus nota negationis particulæ Exponibili aut Conjunctioni illas constituentibus immediatè, vel mediante solâ Copulâ, non præponitur. Aliàs enim* Purarum *leges sequuntur*; *in quas hæ ultimæ resolvendæ sunt, ut debitè fiat Reconciliatio. Sed cùm eadem* Qualitas *&* Termini *in his non serventur, ab hoc loco vulgò amandantur.*

DE CONVERSIONE.

CONVERSIO est mutatio Subjecti in locum

cum Prædicati, & contra, manente eadem Qualitate Enunciationis: ut, *N. brutum est risibile*, convertitur in, *N. risibile est brutum.* Quarum prior, quæ transmutatur, dicitur *Conversa*; posterior, in quam mutatur, est *Convertens.* *Arist. l. 1. pr. An. c. 2.*

Ad legitimam Conversionem requiritur, *ut Convertens ex Conversâ necessario sequatur.* Quod ut fiat, hæc Regula est observanda.

REGULA *Conversionis.*

In omni Conversione totum Prædicatum transponi debet in locum Subjecti, & contra, sine ullâ *Casûs*, *Personæ*, *Temporis*, *Acceptionisve* Mutatione. Unde hæ non sunt bonæ, *Aliquis homo edit panem*; ergo, *Aliquis panis edit hominem. Quidam Equus est in stabulo*; ergo, *Quoddam stabulum est in equo. B sequitur A*; ergo, *A sequitur B. Senex fuit puer*; ergo, *Puer fuit senex*, &c. ut verò debitæ fiant, in suos Terminos primò resolvendæ sunt Propositiones, & tum convertendæ: ut, *A. homo edit (est edens) panem*; ergo, *A. edens panem est homo. Q. equus est (est existens) in stabulo*; ergo, *Q. existens in stabulo est equus. Senex fuit (est aliquis, qui fuit) puer*; ergo, *Aliquis, qui fuit puer, est senex*, &c.

Conversio (legitima) est *Simplex* vel *Per Accidens.*

Conversio *Simplex* est, in quâ servatur eadem Quantitas Enunciationis: ut, *N. lapis est vivens*; ergo, *N. vivens est lapis. Contingit aliquem hominem currere*; ergo, *Contingit aliquid currens esse hominem.* Dicitur *Simplex*, quia est unica tantùm mutatio, sc. ordinis Terminorum.

Conversio *Per Accidens* est, in quâ mutatur Quantitas Enunciationis, ex universali Particularem inferendo; non contra: ut, *Omnis homo est animal*; ergo, *Aliquod animal est homo. Necesse est omnem philosophum esse hominem*; ergo, *Contingit aliquem hominem esse philosophum.* Dicitur *per Accidens*, vel quia secundùm partem Prædicati (quoad latitudinem ejus suppositionis) non totum; vel quia mediate fit; ut, *O. homo est animal*; (ergo, *A. homo est animal*;) ergo, *A. animal est homo.* Sic, *N. lapis est vivens*, (ergo, *N. vivens est lapis*;) ergo, *A. vivens non est lapis*; per Conversionem simplicem & Legem subalternarum.

His addi solet

Conversio *per Contrapositionem*, in quâ, servatâ Quantitate, mutatur Qualitas Enunciationis, & ex Finitâ fit de Subjecto Infinito: ut, *O. homo est animal*, ergo, *O. non animal non est homo. Necesse est omnem hominem esse animal*; ergo,

go. *Necesse est omne non animal non esse hominem.* Nam si esset *Homo*; quia *O. homo est animal*; (per prop. 1.) *O. non animal esset animal.* Sic, *A. homo non est doctus*; (ergo *A. homo est non doctus*;) ergo, *A. non doctum est homo. Contingit aliquem hominem non esse doctum*; (ergo, *Contingit aliquem hominem esse non doctum*;) ergo, *Contingit aliquod non doctum esse hominem.* v. Reg. de Infinitarum Æquipollentiâ, quâ fundatur hæc *Conversio* propositionis particularis; cujusque Limitationes proinde hîc adhibendæ sunt. Unde non sequitur, *A. Chimæra non est alba*; ergo, *A. non album est Chimæra*; quia non valet, *A. Chimæra non est alba*; ergo, *est non alba*; unde inferendum esset; ergo, *A. non album est Chimæra.* Dicitur hæc Conversio *per Contrapositionem*, propter contrariam positionem, Infiniti sc. pro Finito, & Negativi pro Affirmativo, aut contrâ. Unde cùm eadem *Qualitas* & *Termini* hîc non serventur, non est propria *Conversio*, prout hoc loco spectatur.

Quibus autem modis unaquæque Propositio legititime converti possit, hoc disticho docetur.

FEcI *simpliciter* convertitur; EvA *per Acci:*
AstO *per Contra*; sic fit Coversio tota.

In quo vocum FEcI, EvA, AstO, *vocales*

signo-

significant, ut in Tabulis. Ideo Universalis Negativa & Particularis Affirmativa (per E. *&* I. *in* FEcI *denotatæ) convertuntur* simpliciter, &c.

Dantur & alii modi Conversionis per Contrapositionem; *(sc. Universalis Affirm. Infinita, si sit ex parte Subjecti, convertitur in Particularem Neg. Finitam; si ex parte Prædicati, in Universalem Neg. Finitam. Item Particularis Aff. Infinita, si sit etiam ex parte Subjecti, in Particularem Neg. Finitam; sin ex parte Subjecti & Prædicati, in Particularem Neg. Infinitam ex parte Subjecti, &c.) qui tamen sine magno incommodo ignorari possunt.*

Legitimæ Conversionis Regulæ Terminorum *Suppositione* fundantur. Nam quia Prædicatum, Universalis quidem Affirmativæ supponit *Confusè*, & Particularis Affirmativæ *Determinatè* (i. e. utrumque pro Individuo vago;) at Universalis Negativæ, *Universaliter* seu *Distributivè*: hinc prima *per Accidens* tantùm; reliquæ autem *Simpliciter* convertuntur. Et Universalis Neg. etiam *per Accidens*, quia Particularis ex Universali sequitur, *per Leg. Subaltern.* (Quòd si hæ aliter unquam convertantur; ut, *O. homo est rationalis*; ergo, *O. rationale est homo*, &c. id fortuitum est & gratiâ materiæ). Particularis verò Negati-

Negativa nullo modo convertitur in Negativam; quia Subjectum Conversæ, quod est *Particulare*, in Convertente esset *Universale* (utpote Propositionis Neg. Prædicatum *v. Reg. 3. Suppos.*) & sic Universale ex Particulari inferretur, contra Regulam *Conversionis*.

Quin etiam sic probantur Conversiones.

1. *Particularis Affirmativæ*; *ut* Aliquod A est B; *ergo* Aliquod B est A, *si non* (*per Leg. Contradict.*) Nullum B est A; *ergo vi Syllogisticâ* Aliquod A non est A, sic

{ Nullum B est A, sed Aliquod A est B; ergo Aliquod A non est A.

2. *Universalis Negativæ*: *ut*, Nullum A est B; *ergo* Nullum B est A. *Si non* (*per Leg. Contr.*) Aliquod B est A. Ergo *per præced.* Aliquod A est B (*Contrad. primæ*) vel tum sic

{ Nullum A est B, sed Aliquod B est A; ergo Aliquod B non est B.

3. *Universalis affirmativæ*: ut, Omne A est B. *ergo*, Aliquod B est A. *Sin minus* (*per Leg. Contrad.*) Nullum B est A. *ergo* (*per præced.*) Nullum A est B. (*Contrar. primæ*) vel sic

{ Nullum B est A. *sed* Omne A est B. *ergo* Nullum A est A. --- } *aut* { Si aliquod A est B, aliquod B est A (*per* 1.) *sed* Si omne A est B, aliq. A est B (*per Leg. subalt.*) Si omne A est B, aliq. B est A.

Corol-

Corollarium.

Hinc ſequitur, quod Subjectum *Convertentis*, & Prædicatum *Converſæ* ſemper debent eſſe ejuſdem Quantitatis, ſeu in eadem Extenſione ſumi; niſi quando *Univerſalis Negativa* in *Particularem Negativam* per *Accidens* convertitur; quæ tamen *Simpliciter* in *Univerſalem Neg.* immediatè converti debet.

Q. Cùm prædictæ Regulæ ſolas Propoſitiones ſignis Quantitatis affectas reſpiciant, quomodo *Indefinitæ* & *Singulares* convertendæ ſunt? R. *Indefinitæ* converti debent, prout Univerſales & Particulares, quibus æquivalent: *Singulares* autem, de Prædicato ſingulari, *Simpliciter*; de Communi verò *per Accidens*, ſed *inverſe*, ex minori majorem quantitatem inferendo; & *Affirmativa* quidem in particularem, *Negativa* verò in Univerſalem: ut, *Hic homo eſt Johannes*; ergo, *Johannes eſt hic homo. Petrus eſt homo*; ergo, *Quidam homo eſt Petrus. Hic homo non eſt juſtus*; ergo, *Nullum juſtum eſt hic homo*; juxta Corollarium.

Converſio *Modalium* fit quoad *Modum* & *Dictum* ſimul, ac Purarum Converſioni per omnia ſimillima eſt; his ſolùm obſervatis, quòd

1. Univerſalis Negativa de *Neceſſe* convertitur

vertitur *Simpliciter* quoad utrumque: ut, *Nullum hominem esse irrationalem est necesse*; ergo, *Necesse est nullum irrationale esse hominem.*

2. Propositio de *Impossibili* ad *Necessariam*, cui æquipollet, (sc. cujus Dictum prioris Dicto est Contradictoria) reducenda est, ut de modo Conversionis ejus meliùs constet: ut (1) *Impossibile est omne Ens esse finitum*; huic æquivalet, *Necesse est aliquod Ens non esse finitum.* (2) *Impossibile est nullum numerum esse parem*; huic, *Necesse est aliquem numerum esse parem.* (3) *Impossibile est aliquam creaturam esse infinitam*; huic, *Necesse est nullam creaturam esse infinitam.* (4) *Impossibile est aliquod animal non esse vivens*; huic, *Necesse est omne animal esse vivens.* *v. Tab. opp. Mod.* Unde juxta naturam *Necessariæ*, cui æquipollet, omnis propositio de *Impossibili* convertenda est. Proinde prima seu *Universalis Affirmativa de Impossibili* non potest converti; quia æquipollet *particulari Negativæ de Necess.*; reliquæ verò possunt.

3. Propositiones Negativæ de *Contingenti* & *Possibili* nullo modo convertuntur.

Nota, quod Propositio de *Necesse* quandoque infertur, ubi juxta Conversionis modum esset *Contingens*: ut, *Necesse est omnem hominem esse rationalem*; ergo, *Neces-*

Necesse est aliquod rationale esse hominem. Sed hoc fit *per Accidens* & gratiâ materiæ; ut ante in *Puris*: *per se* verò solum *Contingens* infertur. (*At Regulæ id exprimere debent, quod constanter &* per se; *non quod* per Accidens *aliquando evenit.*)

Hactenus de Enunciatione *absolutè* consideratâ.

Enunciatio *ad certam materiam restricta* multifariàm dividi potest; sed quantùm ad præsens institutum est duplex, sc. DEFINITIVA & DIVISIVA.

DE DEFINITIONE.

Arist. An. post. l.2.c.10. 'ΟΡΙΣΜΟ'Σ ἐστὶ λόγος τοῦ τί ἐστι. DEFINITIO est oratio (explicans) quid sit: ut, *Animal rationale*, respectu Hominis. DEFINITUM est id, quod oratione explicatur: ut, *Homo. Itaque* Definitio *non est integra Enunciatio, in qua oratio rem explicans de ipsa re prædicatur*; ut, Homo est animal rationale, (*quæ potiùs vocatur* Enunciatio Definitiva;) *sed solum ejus Prædicatum. At quia imperfectum sensum illud gignit, cùm sit oratio imperfecta, quærenti Definitionem, per integram Enunciationem vulgò respondetur. Et hinc passim Definitio pro integra Enunciatione sumitur.*

Defini-

Definitio eſt *Quid nominis* vel *Quid rei.*

Definitio *Quid nominis* eſt, quæ vocis alicujus ſignificationem exponit: ut, *Dialectica ſignificat artem diſſerendi.* Huc revocatur Definitio ab *Etymologiâ* petita: ut, *Conſul eſt, qui conſulit Reipublicæ.*

ὍΡΟΣ ἐστι λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. Definitio (*Quid rei*) eſt oratio, rei naturam explicans: ut, *Homo eſt animal rationale.* Eſtque propriè dicta ſeu *Eſſentials*, vel impropriè dicta ſeu *Deſcriptio.* *Ariſt. l. 1. Top. c. 5.*

Definitio *Eſſentialis* eſt, quæ per ſola Definiti eſſentialia datur. Eſtque *Phyſica*, vel *Metaphyſica* (ſeu *Logica.*)

Definitio Eſſentialis *Phyſica* eſt, quæ datur per partes Eſſentiales Phyſicas, ſc. *Materiam* & *Formam*: ut, *Homo eſt compoſitum ex corpore & anima rationali.*

Definitio Eſſentialis *Metaphyſica* (ſeu *Logica*) eſt, quæ datur per partes Eſſentiales Metaphyſicas (ſeu Logicas) ſc. *Genus* & *Differentiam*: ut, *Homo eſt animal rationale.* Genera e tabulis Prædicamentorum petenda ſunt; ut & Differentiæ Subſtantiarum: Accidentium verò Differentiæ à *Subjecto*, *Objecto*, *Cauſâ Efficiente* vel *Finali* ſumuntur.

Q. 1 *An quælibet res definiri poſſit Eſſentiali Definitione?* R. *Non.* *Nam ea, quæ non*

habent

habent Materiam & Formam; *ut*, Spiritus, *ipsa etiam* Materia & Forma (*tam* Substantialis, *quàm* Accidentalis) *non possunt definiri* Physic; *quæ verò non habent genus & Differentiam*, *ut*, Ens Infinitum *seu* Deus, Transcendentia, Summa Genera & Differentia *quælibet*, *nec non* Individua, *non possunt definiri* Mataphysicè; *& quæ non habent Essentiam veram*; *ut*, Privatio, Chimæra &c. *vel non perfectam*, *ut* Partes & Principia rerum; *vel non unam*, *ut*, Entia per Accidens, Aggregata, Complexa & Æquivoca, *neutro modo* Definiri, *bene tamen hæc omnia* Describi *possunt*; & Æquivoca *etiam* Definiri, *si priùs distinguantur*.

Descriptio est, quæ datur per aliquod non Essentiale Definito. Estque *Causalis* vel *Non Causalis*.

Descriptio *Causalis* est, quæ datur per Causam externam. *Causa externa* est, quæ non est pars rei, cujus est Causa. Estq; duplex; Efficiens, ut *Sol luminis*; & Finalis, ut, *Sanitas deambulationis*. Itaque.

Descriptio Causalis est duplex. 1°. Per Causam Efficientem: ut, *Dies est motus solis supra terram*. 2°. Per Causam Finalem: ut, *Homo est animal creatum ad fruendum æternâ beatitudine*. (Quibus additur, 3°. Per Causam Exemplarem: ut,

ut, *Homo est creatura ad imaginem & similitudinem Dei condita.* Sed hæc à prima vix differt.)

Q. 2. *An Definitio* Essentialis Physica *possit vocari* Causalis? R. *Possit, vim nominis attendendo; quia datur per* Causas Internas, Materiam *sc. &* Formam: *at non solet, quia nomen habet digniorem; & per* Causalem *vulgò intelligitur ea, quæ non est* Essentialis, *daturque per* Causam Externam.

Descriptio *non Causalis* est duplex. 1. Per Genus & Proprium: ut, *Homo est animal risibile.* 2. Per Genus & Cumulum Accidentium, *Definito* convertibilem: ut, *Homo est animal bipes implume. Sunt & alii* Describendi *modi, qui tamen ad* Poeticam *&* Rhetoricam *potius pertinent, quàm ad* Logicam.

Q. 3. *An sano sensu dici possit, omnem Definitionem constare* Genere *&* Differentiâ? R. *Possit, per* Genus *&* Differentiam *etiam quæ vicem illorum subeunt intelligendo. Omnis enim Definitio constat uno Termino Communi, & alio vel aliis illum ita restringentibus, ut soli Definito conveniat: ut in all.* Ex. *patet.*

Q. 4. Quis est ordo Propositionis Definitivæ? R. Hic 1. Subjectum ejus est *Definitum.* 2. Terminus Simplex, qui sensu immediatè sequitur Copulam, est *Genus Definiti* (quod sæpissimè subticetur.)

3. Quicquid deinceps sequitur, est *Differentia.*

Leges Definitionis sunt tres.

1. Definitum non ingrediatur suam Definitionem; *quia Definitio debet esse clarior Definito; idem verò non potest esse clarius seipso. Hinc Relativa*, Qui, Quæ, Quod *in Prop. Definitivis Copulæ immediatè postposita, non referunt* Definitum, *quia tunc ingrederetur suam Definitionem; sed* Genus Definiti, *quod subjicetur: ut in hac*, Genus est quod de pluribus &c. *relativum* quod *refert* universale, *ut sit sensus*, Genus est universale quod &c. *non ipsum* Genus; *aliàs esset* Genus est Genus, quod &c.

2. Definitio sit convertibilis cum Definito, i.e. *nec latior nec angustior eo; quia eadem est re cum Definito.* Hinc istæ Definitiones Hominis sunt vitiosæ, sc. *Corpus animatum sentiens. Animal literatum.*

3. Definitio nihil contineat superflui. i, e. *nihil præter ea, quæ necessaria sunt, ut sit convertibilis cum Definito; nisi fortè illa non essent satis clara; tunc quod explicandi causa additur, non erit superfluum.* Vitiosa ergo est ista Hominis Definitio, *Animal rationale bipes.*

Non opus est addere, Definitionem debere constare verbis propriis, perspicuis & ab ambiguitate alienis; *quia hoc per*

totam Logicam semper intelligendum est; cùm voces impropriæ & Metaphoricæ ad Rhetoricam & Poeticam *tantùm, non ad* Logicam *pertineant.*

DE DIVISIONE

DIVISIO est oratio totum in suas partes distribuens: ut, *Hominis partes sunt Corpus & Anima.* Totum, (ut *Homo,*) dicitur *Divisum*; Partes dicuntur *Membra dividentia* seu *Divisionis.* (*Idem de* Divisione & Enunciatione Divisivâ *hîc intelligendum est, quod de* Definitione *antedictum fuit.*)

Divisio est *Nominis* vel *Rei.*

Divisio *Nominis* est, qua multiplex significatio Termini Æquivoci distinguitur: ut, *Canis significat Animal latrans, vel Sidus cæleste, vel Piscem.* Dicitur *Distinctio*; de qua est Regula, quòd

Omne ambiguum priùs Distinguendũ est, quàm Definiendum, aut alio modo tractandum.

Divisio *Rei* est, qua res aliqua vel Terminus Univocus in suas partes distribuitur. Estque triplex, nempe Totius *Integralis,* E*ssentialis* & *Universalis.*

Divisio *Totius Integralis* est, qua totum Integrale in partes Integrantes distribuitur: ut, *Homo* in *Caput, Truncum* & *Artus.* Partes *Integrantes* sunt, quæ quantitate sua totius quantitatem integrant

& constituunt; & si ejusdem sunt naturæ, Totum vocatur *Homogeneum:* ut, *Aqua:* sin diversæ, *Heterogeneum*; ut, *Domus*, quatenus ex ligno, lapidibus &c. construitur. Hæc dici solet PARTITIO.

Divisio *Totius Essentialis* est, qua totum Essentiale in partes sibi Essentiales distribuitur. Dicitur RESOLUTIO. Estque Totius Essentialis *Physici* vel *Metaphysici* (seu *Logici.*)

Divisio *Totius Essentialis Physici* est, qua totum Essentiale Physicum in partes Essentiales Physicas (i. e. *Materiam* & *Formam*) distribuitur: ut, *Homo* in *Corpus* & *Animam*.

Divisio *Totius Essentialis Metaphysici* seu *Logici* est, qua totum Essentiale Metaphysicum seu Logicum in partes Essentiales Metaphysicas seu Logicas (sc. *Genus* & *Differentiam*) distribuitur; ut, *Homo* in *Animal* & *Rationale*. Hæc vocari quoque solet *Divisio Totius Formalis*, seu Definiti in partes Definientes; & à Definitione perfectâ haud differt.

Divisio *Totius universalis* est, quà magis commune in minùs communia distribuitur. Hæc DIVISIO propriè dicitur, Estque quadruplex.

1. Generis in species: ut, *Animal est Homo vel Brutum.* Huc revocatur Divisio *Speciei*

Speciei in Individua; *Differentiæ* in Species vel Individua; *Generis* per Differentias; & *Differentiæ* per Differentias.

2. Accidentis per Subjecta (cùm sc. Divisum est Accidens membrorum dividentium): ut, *Album est Lilium vel Nix* &c.

3. Subjecti per Accidentia (cùm Membra dividentia sunt accidentia Divisi): ut, *Homo est Probus vel Improbus.*

4. Accidentis per Accidentia (cùm Divisum & Membra dividentia sunt Accidentia ejusdem subjecti): ut, *Dulce est Album vel Flavum*, &c.

His addi potest Divisio *Causæ per Effecta*, & contra. Item Rei per *Objecta*, *Circumstantias* &c. & contra.

Leges Divisionis sunt tres.

1. Divisum plus contineat singulis Membris dividentibus; idem universis. Per part. 1. hæc Divisio est vitiosa, *Animal est Sensitivum vel Homo vel Brutum*; quia *Sensitivum* (unum è membris) est convertibile cum Diviso: Et per part. 2. ista, *Vivens est Homo vel Brutum*; quia *Vivens* (Divisum) latiùs patet utroque membro, *Plantam* etiam complectens.

2. Omnia Membra dividentia inter se pugnent. Unde inepta est ista Divisio, *Homo est Probus vel Literatus.*

3. Membra dividentia sint pauca. Malè ergo dividitur *Vivens in Hominem, Equum, Leonem, Quercum* &c. sed priùs in species maximè Communes, tum in alias inferiores dividendum est, donec ad id, quod quæritur, deveniatur: ut, *Vivens est Animal vel Planta. Animal est Homo vel Brutum*, &c. Hinc διχοτομίαι sunt laudatissimæ.

Hactenus de ENUNCIATIONE; adeoque de SECUNDA PARTE LOGICÆ.

PARS

PARS III.

DE ARGUMENTATIONE.

Ex Enunciationibus fit ARGUMENTATIO.

ARGUMENTATIO est Oratio, in qua una Enunciatio ex alia vel aliis infertur: ut, *Homo est animal.* Ergo, *Homo est sensitivus.*

Q. Quot sunt *partes* Argumentationis? R. Tres, *Antecedens*, *Consequens* & *Nota illationis*.

Antecedens est Enunciatio (una vel plures) ex quâ alia infertur: ut, *Homo est animal.*

Consequens est Enunciatio, quæ ex alia (vel aliis) infertur, (sic dicta, quia consequitur ex Antecedente:) ut, *Homo est sensitivus.*

Nota Illationis est Conjunctio Consequentem ex Antecedente inferri significans: ut, *Ergo.* Illatio vocatur *Sequela*, *Consequentia*, *Consecutio* vel *Collectio*; quæ non est Antecedens, nec Consequens, sed Connexio Consequentis cum Antecedente. Sumitur tamen non ra-

rò

1ò *Consequentia* (cum reliquis) pro integrâ Argumentatione.

Argumentatio distinguitur in *Bonam* & *Vitiosam.*

Argumentatio *Bona* est, cujus Consequens legitimè infertur ex Antecedente: ut *in all. ex.* Et consideratur vel *absolutè & in se*, vel *Prout restringitur ad certam materiam.*

Argumentatio *absolutè* considerata est *Formalis* vel *Materialis.*

Argumentatio *Formalis* est, cùm in nullâ similis formæ dari potest Antecedens verum Consequente falso. Sunt autem Argumentationes *similis Formæ*, quæ constant æquè multis Terminis & Propositionibus, ejusdem Quantitatis & Qualitatis, eodemque ordine dispositis: ut,

Omne animal est vivens
Omnis homo est animal. ergo
Omnis homo est vivens
&
Omnis arbor est planta.
Omnis quercus est arbor. ergo
Omnis quercus est planta.

Quæ sunt Argumentationes Formales per Definitionem præced. & dicuntur *Formaliter veræ.* i. e. gratiâ Formæ, seu *Veritate Consequentiæ.*

Hæc Argumentatio vocatur SYLLOGISMUS.

De

De SYLLOGISMO.

ΣΥΛΛΟΓΙΣΜΟ'Σ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῷ ταῦτα εἶναι. SYLLOGISMUS est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis, quæ posita sunt, necessariò accidit, eo quòd hæc sunt. i. e. in quâ ex duabus Enunciationibus ritè dispositis & concessis, altera eo ipso necessariò infertur, propter legitimam earum dispositionem: ut *in præced. Exempl.* *Arist. pr. An. l. 1. c. 1.*

Hujus *Principia* & *Species* consideranda sunt.

Principia Syllogismi sunt *Interna* vel *Externa.*

Principia *Interna* sunt, quæ in ipso Syllogismo continentur. Suntq; *Materialia* vel *Formalia.*

Principia *Materialia* sunt ex quibus, velut ex materiâ, construitur Syllogismus. Et sunt *Remota* vel *Propinqua.* Remota sunt *Termini*; Propinqua sunt *Propositiones.*

Q. 1. Quot sunt *Termini* in quovis Syllogismo? R. Tres, *Major*, *Minor* & *Medius.*

Major Terminus (τὸ μεῖζον ἄκρον, *majus extremum*) est, qui in Antecedente Syllogismi præstantiorem locum obtinet. i. e. est

eſt Prædicatum, cùm *Minor* eſt Subjectum; ut *in primâ figurâ*; vel (ſi in hoc ſit paritas) qui pronunciatione præcedit; ut *in ſecundâ & tertiâ*; prout in propoſitis exemplis *Vivens*, &, *Planta*.

Minor Terminus (*τὸ ἔλαττον ἄκρον, minus extremum*) eſt, qui in Antecedente Syllogiſmi minùs præſtantem locum obtinet: ut, *Homo*, &, *Quercus*.

Medius Terminus (*τὸ μέσον, medium*) eſt, qui in Antecedente Syllogiſmi bis ponitur; & vocatur etiam *Argumentum*: ut, *Animal*, &, *Arbor*.

Q. 2. Quare *Termini* Syllogiſmi iſtis nominibus appellantur? R. *Medium* ſic vocatur, quia medio inter Extrema ponitur; non ſemper *Situ*; ut, in all. Exemp. at *officio*, illa inter ſe connectens: ſicut enim ſe habent ad Medium, ſic & inter ſe (*v. Principia dirigentia.*) *Extrema* verò dicuntur reſpectu Medii, vel etiam Quæſtionis ſeu Propoſitionis probandæ, cujus ſunt Extrema; *Minus* ſc. eſt Subjectum, & *Majus*, Prædicatum. Et hoc quidem dicitur *Majus*, quia Prædicatum ſolet eſſe latius i. e. univerſalius Subjecto, cumque Medio primùm conjungi; ſicut ob contrarias rationes alterum dicitur *Minus*.

Q. 3. Quot ſunt *Propoſitiones* cujuſvis Syllogiſmi? R. Tres, *Major*, *Minor* & *Concluſio*.

Major Propositio (ἡ πρότασις) est illa pars Antecedentis, in qua *Majus Extremum* ponitur: ut in 1. Ex. all. *O. animal est vivens.* A Cicerone (sicut ab Arist.) vocatur simpliciter *Propositio*; quia vulgò proponitur. i. e. primo loco ponitur.

Minor Propositio est illa pars Antecedentis, in qua *Minus Extremum* ponitur: ut, *O. homo est animal.* A Cicerone & aliis vocatur *Assumptio*; quia Propositioni assumitur. Hæ duæ Propositiones dici solent *Præmissæ*; quoniam præmittuntur Conclusioni.

Conclusio (τὸ συμπέρασμα) est Propositio, quæ ex aliis infertur: ut, *O. homo est vivens.* Quæ, quando probanda proponitur, dicitur *Quæstio* vel *Problema*; quando ex Præmissis infertur, *Conclusio*; quia inde concluditur. Rhetoribus *Complexio*, quòd Extrema, cum Medio in Præmissis comparata, complectatur; unde ex illis satis constat.

Q. 4. An illa Propositio est *Major*, quæ *primo* loco ponitur? R. Ordinariè est; aliquando tamen Præmissæ transponuntur, ita ut primo loco *Minor*, secundo *Major* ponatur: ut hîc,

Homo est animal.
Rationale est homo. Ergo.
Rationale est animal.

Prin-

Principia *Formalia* sunt dispositiones quædam Principiorum Materialium. Suntque duo, unum Terminorum, *Figura*; alterum Propositionum, *Modus* dictum.

FIGURA (τὸ σχῆμα) est apta dispositio *Medii* cum Extremis secundùm Subjectionem & Prædicationem. Estque triplex pro triplice Medii dispositione. *Prima*, quando Medium est Subjectum in Majore & Prædicatum in Minore Propositione. *Secunda*, quando est Prædicatum in utrâque. *Tertia*, quando est Subjectum in utrâque, sc.

Sub Præ: *Prima*; bis Præ: *Secunda*; *Tertia* bis Sub.

MODUS est apta dispositio *Propositionum* secundùm Quantitatem & Qualitatem. (*Requiritur enim, ut Præmissæ certâ ratione affectæ sint, ad benè concludendum.*) Estque *Directus* vel *Indirectus*.

Modus *Directus* est, in quo Majus Extremum concluditur de Minore. *Indirectus*, in quo Minus de Majore. Idem de *Syllogismis* intelligendum est.

Q. 5. Quot in universum sunt *Modi utiles*, seu apti ad concludendum in tribus Figuris? R. Novemdecem, his fictitiis vocabulis expressi,

Figura
1. Barbara. Celarent. Darii Ferio. (Baralipton. Celantes Dabitis. Fapesmo Frisesomorum.)
2. Cesare. Camestres. Festino. Baroco
3. ——————————————— Darapti. Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo; Ferison.

Quo-

Quorum quinque ultimi primæ Figuræ (Parenthesi propterea inclusi) sunt *Indirecti*: reliqui omnes *Directi*. Eorumque tres *Syllabæ* (nam in *Baralipton* & *Frisesomorum* quarta &c. metri gratiâ additur) tres Syllogismi Propositiones denotant, sc. prima *Majorem*, secunda *Minorem* &c. Cujuslibet autem Syllabæ *Vocalis* Propositionis illius *Quantitatem* & *Qualitatem* designat; juxta ea, quæ de A. E. I. O. ante-dicta sunt.

Modi *Directi* primæ Figuræ.

BAr- *Omne animal est Substantia.*
bA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
rA. *Omnis homo est Substantia.*

CE- *Nullum animal est planta.*
lA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
rEnt. *Nullus homo est planta.*

DA- *Omnis homo est rationalis.*
rI- *Aliquod animal est homo.* Ergo,
I. *Aliquod animal est rationale.*

FE- *Nullus Æthiops est albus.*
rI- *Aliquis homo est Æthiops.* Ergo,
O. *Aliquis homo non est albus.*

Modi *Indirecti* primæ Figuræ.

BA- *Omne animal est Substantia.*
rA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
lIP. *Aliqua Substantia est homo.*

CE-

CE- *Nullum animal est planta.*
lAn- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tES. *Nulla planta est homo.*

DA- *Omnis homo est rationalis.*
bI- *Aliquod animal est homo.* Ergo,
tIS. *Aliquod rationale est animal.*

FAP- *Omnis homo est animal.*
ES- *Nullum brutum est homo.* Ergo,
MO. *Aliquod animal non est brutum.*

FrIS- *Aliqua virtus est delectabilis.*
ES- *Nullum vitium est virtus.* Ergo,
OM. *Aliquod delectabile non est vitium.*

Modi secundæ Figuræ.

CES- *Nullum brutum est rationale.*
Ar- *Omnis homo est rationalis.* Ergo,
E. *Nullus homo est brutum.*

CAM *Omnis homo est rationalis.*
ES- *Nullum brutum est rationale.* Ergo,
tiES. *Nullum brutum est homo.*

FES- *Nullus homo est brutum.*
tI- *Aliquod animal est brutum.* Ergo,
nO. *Aliquod animal non est homo.*

BA- *Omnis homo est rationalis.*
rO- *Aliquod animal non est rationale.* Ergo
CO. *Aliquod animal non est homo.*

Modi tertiæ Figuræ.

DA- *Omnis homo est rationalis.*
rAP- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tI- *Aliquod animal est rationale.*

FE-

FE- *Nullus homo est rationalis.*
lAP- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tOn. *Aliquod animal non est rationale.*

DIS- *Aliquod animal est rationale.*
AM- *Omne animal est vivens.* Ergo,
IS. *Aliquod vivens est rationale.*

DA- *Omnis avarus est miser.*
tIS. *Aliquis avarus est dives.* Ergo,
I. *Aliquis dives est miser.*

BO- *Aliquod animal non est homo.*
CAr- *Omne animal est vivens.* Ergo,
dO. *Aliquod vivens non est homo.*

FE- *Nullum vitium est amandum.*
rIS- *Aliquod vitium est delectabile.* Ergo
On. *Aliquod delectabile non est amandū.*

Nota 1. Dari *quartam Dispositionem* Medii, ut sc. sit *Prædicatum* in primâ & *Subjectum* in secundâ Propositione ;

ut { *Omnis homo est animal.*
Omne animal est vivens. Ergo.
Omnis homo est vivens. }

quæ dicitur *Quarta Figura* & *Figura Galenica*, à *Galeno* Authore ; & variari potest per omnes *Modos Directos* & *Indirectos* primæ Figuræ, transpositis solùm Præmissis juxta hoc distichon

BArAMAr. CAlErEM. DIMAI, FIMEO. (BAMAlIPton . CAlEMES. DIbAMIS. FESAPO, FrISESOnorum.)

Atque adeo *Quarta Figura* revera est tantùm *Prima*, minore Propositione primo loco positâ, & majore secundo.

2. Syllo-

2. Syllogiſmos fieri *Indirectos* in Modis ſecundæ & tertiæ *Figuræ*, ſi converſâ Concluſione maneant eædem Præmiſſæ, vel tranſpoſitis Præmiſſis maneat eadem Concluſio : ſic

Figura { 2. CAMESE. CESArtES. FItESMO. BOrACMO —— DAPAMtI.
Figura { 3. FAPEMtOn. DAtISIS. DISAMI. BOCArMO. FISErOM

3. Syllogiſmos ex Præmiſſâ *Universali* & *Singulari* conſtantes ad Modos *Particulares* reduci :

ut { *Omnis homo eſt rationalis.*
Davus eſt homo. Ergo,
Davus eſt rationalis ; ad DARII, &c.

Hæc de Principiis *Internis* Syllogiſmi.

Principia *Externa* ſunt, quæ in ipſo Syllogiſmo non continentur. Suntque *Dirigentia* vel *Perficientia*.

Principia *Dirigentia* ſunt ad quæ, tanquam ad normam, Syllogiſmus omnis conformandus eſt. Et ſunt *Primaria* vel *Secundaria*.

De Dicto de *OMNI* & *NULLO*.

Principia Dirigentia *Primaria* ſunt *Axiomata* (i. e. propoſitiones per ſe notæ) quibus vis Illiationis ſeu Conſequentia Syllogiſtica innititur. Suntque duo,

Ax. 1. *Quæ conveniunt in eodem tertio, conveniunt inter ſe.* (ſi alterum ſaltem illorum toti illi conveniat :) ut, quia *Subſtantia toti animali* convenit, & Ho-

mo in parte seu *alicui*; ideo *Homo* & *Substantia* inter se conveniunt. At quia *Homo* & *Brutum* conveniunt *Animali* in parte seu *alicui*, non exinde sequitur illa convenire inter se; quia *aliud* & *aliud animal* intelligitur. Et sic revera non conveniunt in eodem tertio. v. Ax. 4. Unde

Quicquid universaliter affirmatur de aliquo, etiam de omnibus sub illo contentis (illive identificatis) affirmabitur. τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι ἐςιν, ὅταν μηδὲν ᾖ τῦ ὑποκειμένυ λαβεῖν, καθ' ὃ θάτερον ὐ λεχθήσεται. *Dici de Omni* (vel *Universaliter* ffirmari) est, quando nihil Subjecti sumere licet, de quo alterum non dicatur: ut, quia *Substantia* de *omni Animali*; etiam de *Homine* (& *aliis sub Animali* contentis) dicitur in *BArbArA*. Et idem est de *DARII* &c. Ratio est, quia aliàs Contradictoria essent simul vera; ut, *Omne animal est Substantia*; &, *A. animal* (*sc. homo*) *non est substantia*. Hoc *Dicto de Omni* (ut vocant) Syll. omnes *Affirmativi* fundantur.

Arist. I. pr. c. I. §. II.

Ax. II. *Quorum unum non convenit, & alterum convenit eidem tertio, eorum primum secundo non conveniet*; (si alterum saltem illorum toti tertio conveniat aut non conveniat:) ut, quia *Nix nulli homini* convenit, & *esse album alicui*; ideo *Nix alicui albo* non convenit. Item quia

quia *Homo alicui animali* non convenit, & *vivens omni*, ideo *Homo alicui viventi* non convenit: non contra, ideo *Nix albo*, & *vivens homini* (secundum sc. primo) non convenit. Ut nec si unum conveniat, & alterum non conveniat tertio in parte: ut, quia *Rationale alicui animali* non convenit, & *Homo alicui* convenit, non ideo *Homo alicui rationali* non conveniet; aut è contra; quia aliud & aliud *animal* intelligitur, ac proinde non est idem tertium. vid. *Ax.* 4. Unde sequitur.

Quicquid universaliter negatur de aliquo, etiam de omnibus sub illo contentis (illive identificatis) negabitur. Τὸ κατὰ μηδενὸς κατηγορεῖσθαί ἐστιν, ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν, ἀφ' οὗ θάτερον οὐκ ἀφαιρεθήσεται.

Arist. ibid.

Dici de nullo (vel *universaliter primò*) est, quando nihil Subjecti sumere licet, de quo alterum non removeatur: ut, quia *Planta* de *omni Animali*, etiam de *Homine* (& *aliis sub animali* contentis) negatur in CElArEnt. Idemque de FErIO, &c. Alias Contradictoria essent simul vera: ut, *Nullum animal est planta*, &, *Aliquod animal* (sc. *homo*) *est planta*. Hoc *Dicto de Nullo* (ut appellatur) Syllogismi omnes *Negativi* fundantur. His addatur.

Ax. 3. *Quorum neutrum convenit eidem tertio* (*eidemve* [illegible]) *incertum est an*

ea

ea conveniant vel non conveniant inter se: ut, nec *Homo* nec *Rationale*; item nec *Homo* nec *Brutum* convenit *Lapidi*; tamen *priora* conveniunt, *posteriora* non conveniunt inter se.

Ax. 4. *Quorum unum uni, alterum alteri (sive toti sive in parte) convenit aut non convenit, incertum est an ea conveniant aut non conveniant inter se:* (nisi aliunde constet illa, quibus comparantur, inter se convenire; tunc enim idem esto judicium de his, ac de reliquis, quæ comparantur eidem.)

Hinc constat Principia Dirigentia primaria Syllogismorum esse duo tantùm, sc. *Dictum de Omni* & *Dictum de Nullo*; quorum prius est *Affirmativum*, posterius *Negativum*; quæque *actu* continentur in primâ Figurâ, in reliquis non nisi *potentia*.

Principia Dirigentia *Secundaria* sunt Regulæ ex primariis extructæ, quæ veritatem Consequentiæ dirigunt. Suntq; *Generales* vel *Speciales*.

REGULÆ SYLLOGISTICÆ Generales.

Regulæ *Generales* sunt, quæ in omnibus Figuris sunt observandæ. Et sunt *Septem*.

R. 1. *In Syllogismo sunt tres tantùm Termini* (*duo*

(*duo* sc. *Extrema* Conclusionis, quæ conveniunt, aut non; & *Medium*, in quo conveniunt, aut non;) quorum quilibet bis ponatur. Non *pauciores*, quoniam duo Extrema cum tertio comparanda sunt in Præmissis, ut inter se conferantur in Conclusione, *per Ax.* I. *&* II. aliàs Syllogismus à Quæstione vel Conclusione non distingueretur: nec *plures*, quia ubi sunt quatuor, duo erunt Media; *contra Ax.* I. *&* II. unde nihil infertur, per 4. Hinc sequitur, quòd

Termini in Propositionibus sunt eodem modo ponendi, i. e. in eadem *Significatione*, *Suppositione*, *Ampliatione*, *Restrictione*, &c. Atque adeo

§ 1. Sine ulla *Æquivocatione*; quia Terminus æquivocus, etsi non voce, sensu tamen, multiplex est: ut hîc,

Quod caret principio & fine, est æternũ.
Mundus caret principio & fine. Ergo,
Mundus est æternus.

Ubi *carere principio & fine*, in Majore quoad *Durationem*, in Minore quoad *Magnitudinem* seu *Figuram* dicitur; & sic sunt quatuor Termini. Idem est, si *Genus Acceptionis* mutetur: ut,

Homo est dissyllaba dictio.
Homo est animal. Ergo
Animal est dissyllaba dictio.

Ubi *Homo* in Majore accipitur *materia-*

terialiter, in Minore *personaliter.*

§ 2. Sine *Casûs Temporisve mutatione*: ut fit in his duobus,

Omnes servi sunt Domini sui.
1. *Davus est Servus.* Ergo
Davus est Dominus sui.

Ubi Major Terminus, qui in Majore Propositione est *Domini sui*, genitivi casûs, in Conclusione mutatur in *Dominus sui*, nominativi. Unde sunt quatuor Termini.

Excipe *Medium Terminum*, qui in unâ Præmissarum *Rectus*, in alterâ *Obliquus* esse potest; quo casu Extremorum illud, quod cum recto conjungitur in Præmissis, *Obliquum*; quod cum Obliquo, *Rectum* erit in Conclusione: ut,

Omnis servi est Dominus.
Davus est servus. Ergo,
Davi est Dominus.

Juxta hæc formandus est Syllogismus ex *Obliquis*, ut vocant. Item.

Nullus puer diu vixit.
2. *Nestor fuit puer.* Ergo
Nestor non diu vixit.

Ubi Medius Terminus, qui in Majore Propositione est *Puer*, vel *qui est* seu *manens puer*; in Minore mutatur in *fuit puer.* Unde sunt 4 Termini.

§ 3. Sine *Terminorum permistione*: ut, *Primò*, Nulla pars *Majoris Termini* sit in *Minore Propositione*; aut contra; ut hîc

B. immediatè sequitur A.
C. immediatè sequitur B. Ergo
C. immediatè sequitur A.

Ubi *immediatè sequitur*, quæ est pars Majoris Termini, ponitur in Minore Propositione. Unde Medium in Majore Propositione est *B*, in Minore verò *immediatè sequens B*. Et sic (mutat quoque *Casum*, &) sunt 4 Termini. Nam Minor esse debet *C. est B.* quod falsum est.

Secundò, Nec ulla pars *Medii* sit in *Conclusione*; quod dici solet, *Medium non ingrediatur Conclusionem*; quia non est id *quod*, sed *quo* concluditur; aliàs idem probaretur per seipsum: ut hîc

Omnis Equus differt ab homine.
Socrates non differt ab homine. Ergo
Socrates non differt ab Equo.

Et hîc

Nullus pagus est major urbe.
Omne regnum est majus urbe. Ergo
Nullum regnum est majus pago.

In quibus *differt*, & *Majus*, quæ sunt partes Medii, ponuntur in Conclusione. Unde Major Terminus mutat *Casum*. Nam in Majore Prop. est *Equus* & *Pagus*, in Conclusione, *differens ab equo*, & *majus pago*; Et sic etiam sunt 4 Termini. Inferendum autem, *Socrates non est equus*, &, *Nullum regnum est pagus*; quæ sunt vera.

4. Sine vocis alicujus (expressæ vel inte-

tellectæ) *Additione*, *Detractioneve*: ut fit in his

Medio Add.
O. homo est vivens.
A. cadaver est homo mortuus. Ergo
A. cadaver est vivens.

Medio Detr.
N. homo pictus vivit.
O. animal rationale est homo . Ergo
N. animal rationale vivit.

Majori Add.
O. qui Deo placent, sunt beati.
O. fideles Deo placent. Ergo
O. fideles sunt beati, nullisque calamitatibus affliguntur.

Majori Detr.
O. peccatores resipiscentes recipiuntur in gratiam.
Q. homines non recipiuntur in gratiam. Ergo
Q. homines non sunt peccatores.

Omnes hi Syllogismi peccant; Primus, quia vox Medio additur, quod in Majore est *Homo*, in Minore *Homo mortuus*; Secundus, quia vox à Medio detrahitur, quod in Majore est *Homo pictus*, in Minore *Homo.* Idemque de reliquis, quorum Majori Termino vox additur in Conclusione, vel detrahitur. Unde sunt 4 Termini ubique.

Nota, quod *Signa Quantitatis non censetur variare Terminum.*

R. II. *Non licet procedere à non distributo ad distributum*: sive, Terminus non distributus in Præmissis, non debet distribui in Conclusione; ne plus inferatur, quàm

in illis concessum erat: ut hîc

Omne animal est sensûs capax.

Omne animal est substantia. Ergo

Omnis substantia est sensûs capax.

Ubi *Substantia* in Minore accipitur non distributivè, sed confusè pro *aliquâ*; in Conclusione verò distributivè seu universaliter pro *Omni.* v. *Reg.* 3. & 6. *de Suppos.* Et sic virtualiter sunt 4 Termini. Hinc sequitur hoc COROLLARIUM.

Si Conclusio sit universalis, *Minor*; *si* Negativa *Major Terminus in Præmissis distribuitur*; quia Minor est Subjectum & Major prædicatum Conclusionis (in Modis *Directis*, in *Indirectis* contra.) Unde major Propositio in primâ & tertiâ Figurâ, *Negativa*; in 2ª, *universalis* semper erit, quando Conclusio est *Negativa*; (*adeoque nec Major in Fig.* 2ª. Particularis; *nec Minor in* 1ª *vel* 3ª. Negativa *unquam esse potest. v. Reg.* 5. & 6. *seq.*) Et Minor in Fig. 1ª. & 2ª. universalis semper erit, quando Conclusio est universalis.

Hæc, cum ultimo membro præcedentis, prout Conclusionem respicit, unicâ hâc Regulâ vulgò comprehenditur: *Ne esto plus minusve in Conclusione, quàm erat in Præmissis.* Conclusio enim ex Præmissis educitur; plus autem, quàm illis inest, quo pacto inde elici potest?

R. III. *Minor Terminus distributus in Præmissis,*

sis, distribui potest in Conclusione. Regula sic intelligenda est, non quasi peccet Syllogismus, in quo illa non observatur; sed quòd minus infertur, quàm legitimè inferri potest in ejus Conclusione; quæ hoc casu semper esse possit universalis. Ratio est, quia cùm Medium universaliter convenit vel non convenit Minori, Major (qui tunc semper conveniet, vel non conveniet toti Medio) etiam universaliter conveniet vel non conveniet eidem Minori; juxta *Dicta de omni & Nullo.* Regula valet in *Modis Directis.* Hinc sequitur hoc COROLLARIUM.

Si Conclusio sit Particularis, Minor Terminus in Præmissis particularis erit; adeoque Minor Prop. in Fig. 1ª & 2ª *particularis*, in 3ª *Affirmativa* tunc semper erit; quia illic Subjectum, hîc Prædicatum est Minor Terminus (*v. Reg.* 5. *& 6. de Suppos.*) Unde Major in Fig. 1ª & 2ª nunquam Particularis esse potest. (v. Reg. 5. & 6 seq.)

R. IV. *In altera Præmissarum Medium distribuatur.* Aliàs non servantur *Dictum de Omni & Nullo.* v. Ax. 4. Unde non sequitur,

Aliquod animal est irrationale.
Omnis homo est animal. Ergo,
Aliquis homo est irrationalis.

Quia Medium utrobique sumitur particulariter, *v. Reg.* 5. *& 6. de Suppos.*

N c

Nec *Homo* in Minore est illud *idem animal*, de quo *irrationale* prædicatur in Majore; sed aliud; quare *non conveniunt in eodem tertio*. Proinde sunt 4 Termini.

R. V. *Ex Præmissis Particularibus, aut Negativis nihil sequitur*; juxta Rythmos.

Arist. l. 1. pr. c. 24.

Syllogizari non est ex *particulari*:
Neve *Negativis* rectè concludere sivis.

ut { *Aliquod vivens non est homo.*
Aliquod animal est homo. Ergo,
Aliquod animal non est vivens. }

Peccat hic Syllogismus in Reg. 2. ex parte Majoris; ut & omnes consimiles in 2, vel 4.

Item { *Nullus homo est brutum.*
Nullus equus est homo. Ergo.
Nullus equus est brutum. }

Pugnat cum *Dicto de Nullo*, in quo Medium cum altero Extremorum convenire præcipitur. *v. Ax.* 3.

Nota, in hanc Legem non peccari, si negatio sit pars alicujus Termini, prout est Minoris & Medii in hoc Syll.

Qui non credit, damnabitur. (Ergo
Qui non dat operam justitiæ, non credit.
Qui non dat operam justitiæ, damnabitur.

Resolvantur enim in Terminos Infinitos sic,

Omnis non credens damnabitur.
Omnis non dans operam justitiæ est non credens. Ergo &c.

Ideoque

Ideoque est Syllogismus in BArbArA, ex Minore & Medio Infinitis. Et sic de reliquis similibus.

R. VI. *Conclusio semper sequitur debiliorem partem.* Est autem Negativa debilior vel deterior Affirmativâ, & Particularis universali. Unde si altera præmissarum sit particularis, Conclusio erit particularis. Aliàs peccabit Syllogismus in Reg. 2. vel 4. ut hîc

Omnis homo est rationalis.
Aliquod animal est homo. Ergo,
Omne animal est rationale.

Et si altera sit Negativa, Concusio erit Negativa; juxta *Dictumde Nullo.* Ideo non valet

Nullum animal est planta.
• *Omnis homo est animal.* Ergo
Omnis homo est planta. Sed inferendũ,
Nullus homo est planta.

Nam quia *planta* non convenit, & *homo* convenit *animali*; ideo non conveniunt inter se. Hinc sequitur,

Si altera præmissarum sit particularis, altera Negativa, Conclusio erit particularis Negativa. (sc. particularis propter præmissam particularem, & Negativa ob Negativam.) Eodem modo si altera sit *Recta*, altera *de Termino Obliquo*, Conclusio erit *ex Obliquo.* v. Reg. 1. §. 2. Item si altera sit *Necessaria*, altera *Contingens*, Conclusio erit *Contingens*, &c.

R. VII.

R. VII. *Ex præmiſſis Affirmativis non ſequitur Concluſio Negativa*; quia repugnat *Dicto de Omni*, ſeu Ax. I. ut


Omnis homo eſt animal
Omnis homo eſt rationalis. Ergo
Aliquod rationale non eſt animal.

Nam quia *animal* & *rationale* conveniunt in *homine* non ideo certe differunt inter ſe. Inſerendum ergo

Aliquod rationale eſt animal.

Hujuſmodi Syllogiſmi ſemper peccant in Reg. 2. ex parte Majoris Termini, ſi ſint in Fig. 1. vel 3. Et in Reg. 4. ſi ſint in Fig. 2.

Nota, *Cùm in qualibet Figura tot* Modi *ſint, quot eſſe poſſint trium Propoſitionum* varietates *quoad* Quantitatem & Qualitatem; *cùmque* 4. *literæ* A. E. I. O. *eas deſignantes (ternis ſimul ſumptis)* 64 *modis combinari poſſint*; *binis ſc. quibuſvis pro* Præmiſſis (*quæ* 16 *erunt, ſi quælibet cum ſingulis jungatur, ſic,* AA. AE. AI. AO. EA. EE, &c.) *cum omnibus* 4. *ad* Concluſionem *denotandam ſigillatim conjunctis, hoc modo,* AAA. AAE. AAI. &c. *prout in hoc Schemate apparet,*



vel hoc,

A. A. A *erunt* 64 Modi *in qualibet*
E. E. E *Figurâ, in tribus* 192; *omis-*
I. I. I *sis* Singularibus, *de quibus*
O. O. O *postea. At ex his excluduntur*

28. *per* R. g. 5. *sc. omnes, quorum* Præmissæ *sunt* EE. EO. II. IO. OE. OI. OO. *singulæ cum singulis* A. E. I. O *pro* Conclusione *copulatæ.*

18. *per Reg. 6. nempe omnes, quorum* Præmissæ *sunt* AE. AO. EA. OA. EI. IE *cum* A & I. *Item* AI. IA *cum* A & E *Tandem* EI. IE *cum* E.

6. *per Reg.* 7 *sc.* AA. AI. IA *cum* E & O.

1. *per Reg.* 3. *à Modis* Directis, *sc.* AEO, *quia sub* AEE *continetur.*

1. *per Reg.* 2 & 3. *à Modis etiam* Directis, *sc.* IEO (*At neuter horum duorum à Modis* Indirectis *excluditur, ut postea patebit*) In universum.

54 *quibus (tanquam inutilibus) ex* 64 *subductis, residui erunt*

10. Modi Legitimi; 4 Aff. AAA. AAI. AII. IAI. 6. Neg. AEE. AOO. EAE. EIO. OAO. *quorum* 3 universi. AAA. AEE. EAE. 7 Part. AAI. AII. AOO. EAO. EIO. IAI. OAO; *Omnes* Directi; (*quibus addi possunt* 2 Indirecti AEO. IEO; *nam de* Indirectis *nihil hic*) *qui quidem per tres* Figuras *multiplicati, adhuc* 30 *essent. At cum non in omnibus* Figuris; *imò in nullâ omnes bene concludant, sed* 7 *tantùm in unâ; 2 in duabus; & solus* 1:

In

in omnibus; *erunt* 14 *tantùm distincti* Modi Legitimi *in omnibus* Figuris (*omissis* Singularibus & Indirectis:) ut *proximè ostendam*.

Atque hæc de *Regulis Syllogisticis Generalibus*.

REGULÆ SYLLOGISTICÆ Speciales.

Regulæ *Speciales* sunt, quæ in unaquâque Figurâ sunt observandæ; Suntque Modorum *Directorum* vel *Indirectorum*.

Regulæ Speciales *Modorum Directorum* sunt tres, pro triplici Figurâ.

Regula *Figuræ primæ*.

Arist. l. 1. pr. An. c.4.

[1] *Sit* Minor *Affirmans*; [2] *nec* Major *sit specialis*.

1 Aliàs *Major* erit Affir. per Reg. 5. & Conclusio Neg. per Reg. 6. & sic proceditur à non distributo *Majore* ad distributum; contra Reg. 2. ut hîc

Omne animal est vivens.
Nulla planta est animal. Ergo
Nulla planta est vivens. v.Cor.Reg.2.

2 Aliàs *Medium* non distribuitur, contra Reg. 4. ut hîc

Aliquod animal est homo.
Omne brutum est animal. Ergo.
Aliquod brutum est homo. v.Cor.Reg.3.

Excluduntur per 1. AEE- AOO. *per* 2. IAI OAO *& per Reg.* 3. *gen.* AAI. EAO. (*qui Modi partic. sub suis Univers.* AAA. EAE. *continentur*; *ideoque sunt*

prorsùs

prorsus inutiles ;) 6 *numero. Unde restant* 4 Modi *pro* 1. Fig. 2 Aff. AAA. AII. & 2 Neg. EAE. EIO. *quorum* 2 *sunt* Univ. AAA. EAE. & 2 Part. AII. EIO. *omnes Directi. Hinc patet, Omne genus Problematum probari posse per* 1. Fig. *cùm juxta omnes Quantitatis & Qualitatis varietates, sc.* A. E. I. O. *concludat ; quod ipsi peculare est, ut etiam quòd concludat in* A.

Regula *Figuræ secundæ.*

1*Una negans præeat ;* 2 *nec* Major *sit specialis.* *Arist. ibid. c. 5.*

1 Aliàs *Medium* non distribuetur, contra Reg. 4. ut hîc

Omne brutum est animal.
Omnis homo est animal. Ergo.
Omnis homo est brutum.

2 Aliàs procedetur à *non distributo Majore* ad distributum, contra Reg. 2. ut hîc

Aliquod animal non est rationale.
Omnis homo est rationalis. Ergo
Aliq. homo non est animal. v. Cor. R. 2 & 3

Excluduntur per 1. AAA. AAI. AII: *per* 2 OAO. *per* 1 & 2, IAI. *per Reg.* 3. *gen.* EAO (*sub* EAE *contentus, ideoque inutilis*) 6 *numero. Unde restant* 4 Modi *pro* 2. Fig. 2. Vniv. EAE. AEE. & 2 Part. EIO. AOO. *omnes* Neg. *in* E. O.

Regula *Figuræ tertiæ.*

1*Sit* Minor *Affirmans.* 2 Conclusio *sit specialis.* *Arist. ibid. c. 6.*

1 Aliàs *Major* erit Affirmativa per Reg. 5, & Conclusio Negativa per Reg. 6. &

sic procedetur à *non distributo Majore* ad distributum, contra Reg. 2. ut hîc,

Omnis homo est animal.
Aliquis homo non est doctus. Ergo
Aliquod doctū non est animal. v. C. R. 2.

2 Aliàs procedetur *à non distributo Minore* ad distributum, contra Reg. 2. ut hîc,

Omnis homo est rationalis
Omnis homo est animal. Ergo
Omne animal est rationale.

Excluduntur per 1. AOO. *per* 2. AAA. EAE. *per* 1. & 2. AEE. 4 *numero. Unde restant 6* Modi *pro* 3 Fig. 3 Aff. AAI. AII. IAI. & 3 Neg. EAO. EIO. OAO. *omnes* Part. *in* I. O.

Nota, quòd à Figur. 1. *exclusimus* AAI, EAO. à Fig. 2. EAO. AEO. *non quòd rectè non concludant in illis Fig. sed quia* Particulares *hi Modi sub suis* Universalibus *continentur (sc.* AAI *sub* AAA. EAO *sub* EAE. & AEO *sub* AEE.) *adeoque in dictis Figuris sunt prorsus inutiles ad directè concludendum.*

Regulæ Speciales *Modorum Indirectorum* Fig. 1. sunt tres.

1 *Si* Minor *affirmet,* Major *non sit specialis.* Aliàs *Medium* non distribuetur, contra Reg. 4. ut hîc,

Aliquod animal est Equus.
Omnis homo est animal. Ergo
Aliquis equus est homo.

2 *Si affirmet* Major, Conclusio *sit specialis.*

Ali-

Aliàs procedetur *à non distributo Majore* ad distributum, contra Reg. 2 ut hîc

Omne animal est Substantia.
Omnis homo est animal. Ergo,
Omnis Substantia est homo. (*Specialis.*

3 *Cum præit una Negans*, Minor *est nunquam* Quia Conclusio erit Negativa per Reg. 6. Et sic procedetur *à non distributo Minore*, ad distributum, contra Reg. 2. ut hîc,

Omnis homo est animal.
Aliquod vivens non est homo. Ergo,
Aliquod animal non est vivens

Excluditur per Reg. 1. IAI. OAO. *per Reg.* 2. AAA. AEE. *per Reg.* 3. AOO. EIO. 6. *numero. Unde restant* 4 Modi Indirecti *pro* 1. Fig. 2 Aff. AAI. AII. & 2 Neg. EAE. EAO. *sed cùm* EAO *sub Univ.* EAE *continetur* (*ideoque non est distinctus Modus*) *erunt omnino* Tres; *quibus duo alii asciscuntur, nempe* AEO. IEO. (*qui ex* EAO. EIO. *transpositis præmissis fiunt, & benè concludunt* Indirectè, *nec contra Regulas præced. ut paulo ante monitum est.*) *Omnes proinde sunt* 5 numero, 2 Aff. AAI. AII. 3 Neg. EAE. AEO IEO. *quorum.* 1 Univ. EAE. 4 Part. AAI. AII. AEO. IEO.

Nota, Regulas Fig. 1. (*pro Modis tam* Directis, *quàm* Indirectis) *etiam in* Quartâ Figurâ (*sive ubi præmissæ Fig.* 1. *transponuntur*,) & Regulas Fig. 2. & 3.

pro Modis illarum Indirectis, *quaque valere, si loco* Majoris *in illis substituatur* Minor, *& contra : sic*,

Regulæ *Figuræ quartæ*,

Pro Modis *Indirectis.*

Affirmet Major, Minor *& non sit specialis.*

Pro Modis *Directis.*

1 *Si affirmet* Major, Minor *est nunquam specialis.*
2 *Si* Minor *affirmet*, Conclusio *sit specialis.*
3 *Cùm præit una negans*, Major *non sit specialis.*

Regula pro Modis *Indirectis Fig.* 2.

Una negans præeat, Minor *& non sit specialis.*

Regula pro Modis *Indirectis Fig.* 3.

Affirmet Major, Conclusio *sit specialis.*

Ex his constat, esse in *prima Fig.* 4 Modos *Directos*, 5 *Indirectos* ; In *secunda Fig.* 4. in *tertia Fig.* 6. in universum 19. Quorum *Universales* 5. *Part.* 14. Et quidem *Aff.* 7. *Neg.* 12. Concludunt enim in A. 1. (in Fig. 1.) in E 4 (2 in Fig. 1. unus *Directè*, alter *Indirectè*; & 2 in Fig. 2.) in I. 6 (3 in Fig. 1. unus *Directè*, & duo *Indirectè*; & 3 in Fig. 3.) in O. 8. (3 in Fig. 1. unus *Directè*, & duo *Indirectè*; 2 in Fig. 2. & 3. in Fig. 3) Ex quibus 8 reperiuntur in *unâ* Fig. tantùm sc. AAA. AEE. AEO. AOO. EAO. IAI. IEO. OAO. 3 in *duabus*, sc. AAI. AII. EAE. Et solus unus in *omnibus*, sc. EIO. Sed satis hæc, superque.

PROPRIETATES Syllogiſmorum.

Syllogiſmis ſecundùm dictas Regulas formatis conveniunt duæ *Proprietates.* *Ariſt. l. 2. pr. c. 2. 3. 4.*

I. Ex veris Præmiſſis ſequitur Coclusio vera; Ex falſis vera vel falſa: *juxta verſus.*

Ex falſo falſū verumq; aliquando ſequetur:
Ex veris poſſunt nil niſi vera ſequi.

Quia in Præmiſſis veris, ſive Extrema Medio conveniant, (ut in Affirmativis,) *in Concluſione Aff. inde illatâ convenient inter ſe, per Ax. 1. ſive unum conveniat, alterum differat à Medio (ut in* Negativis,) *in Concluſione Neg. inde illatâ different inter ſe, per Ax. 2. ſi legitima Syllogiſmi forma ſervetur.* Et *ſic utrobique vera erit Concluſio ex veris præmiſſis; quod evidentiſſimè patet in* Fig. 1. *Itaq; his Syll.*

Omnis homo eſt animal.
Omnis equus eſt animal. Ergo,
Omnis equus eſt homo.

In quo Concluſio falſa ex veris præmiſſis colligitur, non verus Syllogiſmus, ſed Paralogiſmus eſt, peccans in Reg. Specialem Fig. 2.

In præmiſſis verò falſis, ſive utrùmque Extremum dicatur convenire Medio, cùm neutrum revera convenit, in Concluſione Aff. inde illatâ poſſunt (quandoque per accidens & gratiâ materiæ) convenire inter ſe, per Ax. 3. ſive unum aſſeratur convenire, alterum non, dum utrumque convenit in parte, in Concluſione Neg. inde illatâ

latâ possint inter se differre per Ax. 4. *si legitima Syllogismi forma servetur. Et sic utrobique ex falsis præmissis Conclusio vera inferetur:* ut in his

1. BAr- *Omnis lapis est animal.*
bA- *Omnis homo est lapis.* Ergo,
rA. *Omnis homo est animal.*

2. CE- *Nullum animal est brutum.*
lA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
rEnt. *Nullus homo est brutum.*

II. Ex uno Syllogismo rectè formato plures Conclusiones colligi possunt: idq; per *Subalternationem* vel *Conclusionis Conversionem:*

Arist. l. 2. pr. c. 1.

1. Per *Subalternationem*, præcipuè cùm ex Conclusione universali infertur particularis vel singularis sub illâ contenta, sc. I ex A, & O ex E. ut,

Omne vivens nutritur.
Omne animal est vivens. Ergo,
Omne animal nutritur. Ac proinde
Aliquod (vel *hoc*) *animal nutritur.*

Hinc Modos aliquos Particulares *in Fig.* 1ª *&* 2ª *omisimus; non quòd verè non concludant, sed quia sub suis* Universalibus *continentur: ut,* AAI *sub* AAA *in Fig.* 1ª. *&* AEO *sub* AEE *in Fig.* 2ª. *&* EAO *sub* EAE *in utrâque; qui proinde pro* Modis distinctis *non sunt habendi.* Aliàs (& in universum.)

Subalternatio fit per specialis sub Termino universali subsumptionem; idque vel

sub

sub *Conclusionis subjecto*: ut in pr. Ex. etiam inferendo, Ergo

O. (vel *A.*) *homo* (vel *Socrates* vel *Chamæleon*) *nutritur.*

vel sub *Majoris* universalis *Subjecto*, quod est Medium in Fig: 1ª & 3ª. & Majus extremum in 2ª. ut

Omne vivens nutritur.
Omnis homo est vivens. Ergo,
Omnis homo nutritur. Item
Omnis Chamæleon est vivens. Ergo,
Omnis Chamæleon nutritur.

Unde *Subalternatio* fit respectu cujusvis Termini in Syllogismo.

2. Per *Conclusionis Conversionem*, Simplicem si sit E vel I, ut in EAE. AEE. AAI. AII. IAI. seu per Accidens, si A vel E, ut in AAA. AEE. EAE, seu per Contrapositionem, si A vel O, ut in AAA. AOO. EAO. EIO. OAO. Ex. gr. *Arist. ibid.*

Omnis homo est animal.
Omne rationale est homo. Ergo,
Omne rationale est animal. vel per conv. per Acc. *Aliquod animal est rationale.*

Adeoque ex Syllogismo Directo in BArbArA *fit Indirectus in* BArAlIPtOn.

Atque hinc orti sunt duo alii Modi Indirecti *in Fig.* 1ª *sc.* CElAntES *&* DAbItIS, *qui revera sunt* CElArEnt *&* DArII, *Conclusione simpliciter conversâ. Unde patet quòd in omnibus Modis cujusvis Figuræ*

guræ concludi potest Indirectè, *si modò Conclusio convertatur; ut ante monitum est.*

Hactenus de Principiis *Dirigentibus.*

Principia *Perficientia* sunt, quibus necessitas concludendi in Syllogismis minùs perfectis redditur evidentior. Suntq; REDUCTIO & EXPOSITIO.

De REDUCTIONE.

REDUCTIO est, qua ex Syllogismo imperfecto fit perfectus.

Arist. l. 1. pr. c. 1. Συλλογισμὸς τέλειός ἐστι, ὁ μηδενὸς ἄλλου προσδεόμενος παρὰ τὰ εἰλημμένα, πρὸς τὸ φανῆναι τὸ ἀναγκαῖον. Syllogismus *Perfectus* est, qui nullâ re indiget, præter ea, quæ sumpta sunt, ut necessitas (Conclusionis) appareat, i. e. in quo vis Illationis seu Consequentiæ de se satis evidens est, sine ulteriori declaratione.

Tales sunt omnes Syllogismi Directi *in Fig.* 1ª *sc. in* BA bArA, CElarEnt, DArII, FErIO *qui hinc dicuntur* Modi Perfecti, *quia nullo indigent, quo perficiantur. In his enim* Medium, *situ medium, majori subjicitur, eoque minus seu inferius est; & de* Minore *prædicatur, adeoque illo majus seu superius est: cùm in reliquis Figuris officio tantùm medium sit, situ verò Extremum, dum utrique subjicitur, vel de utroque prædicatur.*

Hinc

Hinc Extremorum nexus, seu Convenientia & disconvenientia, quæ infertur in Conclusione, evidentior est in Fig. 1ª, *quàm in reliquis; quia in illâ evidentiùs servatur* Dictum de Omni & Nullo. *Nam quia Majus Extremum dicitur universaliter de Medio; & Medium de Minore, vel universaliter, ut in* BArbArA, *vel particulariter, ut in* DArII, *evidenter sequitur Majus Extremum dici de Minore, juxta* Dictum de Omni: *Et quia Majus extremum negatur universaliter de Medio, Medium autem attribuitur Minori, vel universaliter, ut in* CElArEnt, *vel particulariter, ut in* FErIO, *evidenter etiam concluditur, Majus Extremum negari de Minore, juxta* Dictum de Nullo. *Quorum neutrum tamen evidens est in* Fig. 2ª *& 3ª, ob Medium non medio loco situm, ut dictum est.*

Atque hinc Syllogismi in Fig. 1ª *sunt magis* Naturales, *quàm in reliquis, quia proximè accedunt ad discursum naturalem; adeo ut quando Syllogismos proferunt homines illiterati (quod sæpissimè fit inter colloquendum) in hâc Fig. ut plurimùm illos struant; quod evidentiæ ejus est certissimum argumentum. Unde dicitur* σχῆμα μάλιστα ἐπιστημονικόν, Figura ad Scientiam gignendam aptissima; *cùm evidentissimè concludat & universaliter affirmet; ac Scientiæ versentur circa universalia.* *Arist. l.* 1. *post. c.* 15.

Συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐστί, ὁ προσδεόμενος ἢ ἑνὸς ἢ πλειόνων, ἃ ἐστὶ μὲν ἀναγκαῖα διὰ τῶν ὑποκειμένων ὅρων, οὐ μὴν εἴληπται διὰ προτάσεων. Syllogismus *Imperfectus* est, qui unâ re pluribusve indiget, quæ quidem per suppositos Terminos sunt necessariæ, non tamen sumptæ sunt per Propositiones, *ut necessitas Conclusionis appareat. Hujusmodi sunt Syllogismi in omnibus Modis* Fig. 2. *&* 3. *& in* 5 *Indirectis* Fig. 1. *qui propterea vocantur Modi* Imperfecti, *quia aliquo indigent, quo perficiantur. Etsi enim Conclusio in illis necessariò sequatur ex Præmissis; non tamen evidenter, ob rationes allatas.*

Arist. l. 1. pr. c. 5, 6, 7. 23.

Reducendi ergo sunt omnes Modi Imperfecti *ad Modos* Directos *Fig.* 1. *ut necessitas Consequentiæ reddatur manifesta.*

Reductio est duplex, *Ostensiva* & *Per Impossibile.*

Reductio *Ostensiva* est, cùm conversis solùm, vel conversis simul & transpositis Præmissis, infertur eadem Conclusio, quæ antè inferebatur, vel ejus saltem Convertens. Dicitur *Ostensiva*, quia directè ostendit rem ita se habere, sive Conclusionem esse veram. (*Syllogismus, qui solâ præmissarum Conversione reducitur*, unâ re; *qui Conversione & transpositione simul*, pluribus indigere *dicitur, in prælaudatâ Arist. Definitione.*)

Funda-

Fundatur hæc Reductio in naturâ Conversionis, *quæ est, quòd* Propositio Convertens ex Conversâ necessariò sequatur, *i.e. Si Conversa sit vera, Convertens etiam vera erit. Unde concessis Syllogismi reducendi Præmissis, Syllogismi quoque reducti Præmissæ (in quas priores convertuntur) concedendæ sunt. At ex veris Præmissis Conclusio vera necessariò sequitur, per Propr. 1.*

Totum hujus Reductionis artificium in Modorum Consonis fere latet, quorum

1. Quatuor *Initiales* B. C. D. F. denotant *Modum Perfectum*, ad quem Imperfectus quilibet reducendus est, sc. ad Modum ab eadem literâ incipientem: ut, omnes, qui à B incipiunt, ad BArbArA; qui à C, ad CElArEnt, &c.
2. Quatuor *Intermediæ* & *Finales* S. P. M. C. Modum Reductionis ostendunt. S. & P. Propositiones (per proximè præcedentem vocalem designatas) *convertendas* esse; S. quidem *Simpliciter*, P. verò per *Accidens*. M. Præmissas esse *transponendas* (in Reductione Ostensivâ.) At C. Modum reduci per *Impossibile* tantùm; non Ostensivè; juxta versus:

S. vult *Simpliciter* verti; P. verò per *Accid.*
M. vult *transponi*, C. per *Impossibile* duci.

Exempla

Exempla Reductionis *Ostensivæ*.

Figur. 1.

FAp- *O. homo est animal.*
Es- *N. brutum est homo.* Ergo,
MO. *A. animal non est brutum.*

Reducitur ad

FE- *N. homo est brutum.*
rI- *A. animal est homo.* Ergo,
O. *A. Animal non est brutum.*

Figur. 2.

CES- *N. brutum est rationale.*
Ar- *O. homo est rationalis.* Ergo,
E. *N. homo est brutum.*

Reducitur ad

CE- *N. rationale est brutum.*
lA- *O. homo est rationalis.* Ergo,
rEnt. *N. homo est brutum.*

Figur. 3.

DIS- *A. animal est rationale.*
AM- *O. animal est vivens.* Ergo,
IS- *A. vivens est rationale.*

Reducitur ad

DA- *O. animal est vivens.*
rI- *A. rationale est animal.* Ergo,
I. *A. rationale est vivens.*

In his, quia Syllogismi reducti Conclusio ex Præmissis ejus (quæ sunt Propositiones Convertentes) necessariò & evidenter sequitur, juxta *Dictum de Omni & Nullo*, etiam antè Reductionem ex iisdem præmissis, nondum conversis, illa ipsa Conclusio necessariò quoque sequebatur; juxta Regulam, *Quicquid sequitur ex Consequente, etiam ex Antecedente sequetur.*

quetur. Convertens enim Consequens est, & Antecedens ejus Conversa.

Reductio per *Impossibile* est, cùm ex Contradictoriâ Conclusionis, cùm unâ Præmissarum, infertur Contradictoria (vel saltem Contraria) alterius Præmissæ. Dicitur per *Impossibile*, quia declarat Impossibile esse Conclusionem non esse veram, vel aliquod Impossibile inde sequi. Et fundatur his duabus Regulis.

R. 1 *Nec contraria simul vera, nec Contradictoria simul vera vel falsa esse possunt.*

R. 2. *Ex veris nil nisi verum sequitur.*

In cujus Præmissæ locum subroganda est Conclusionis Contradictio, ostendunt hi versus.

Fig.
1. *Major fit Minor,* ut *fit Contradictio Major.*
Excipe CElAntES, *in quo convertitur ordo.*
2. *Servat Majorem, variatq; Secunda Minorē:*
3. *Tertia Majorem mutat, servatq; Minorem.*
4. CAlEMES *reducitur, ut Fig 2. Reliqui Modi* Indirecti, ut Fig. 3.

In Indirectis Modis Fig. { 2, *Minor fit Major* &c.
3. Major fit Minor &c.

Ad quem verò *Modum Perfectum* reduci possint singuli *Imperfecti* duobus modis cognoscitur,

1. Ex dispositione Præmissarum Syllogismi reducti: ut, si sint duæ universales Affirmativæ, reducitur ad BArbArA; & sic de reliquis.

Phæ-

2. Ex hoc versu;

Phæliber axis obit terras, sphæramq; quotannis.

Ubi 1. Quinque syllabæ duarum vocum primarum respondent 5 Modis Imperfectis Fig. 1. Quatuor duarum secundarum, 4 Modis Fig. 2, Et sex duarum ultimarum, 6 Modis Fig. 3. Syllaba nimirum prima primo Modo, & sic deinceps.

2. Vocalis cujusque syllabæ designat Modum illum Perfectum (pro ratione Quantitatis & Qualitatis Conclusionis ejus) ad quem facienda est Reductio: ut, E syllabæ primæ, designat CElArEnt; I secundæ, DArII, &c.

Exempla Reductionis per *Impossibile.*

Fig. 1.

BA- *O. homo est animal.*
rA- *O. rationale est homo.* Ergo,
lIP. *A. animal est rationale.*

Reducitur ad

CE- *N. animal est rationale.*
lA- *O. homo est animal.* Ergo,
rEnt. *N. homo est rationalis.*

Ubi infertur, non *Contradictoria* Minoris, sed ejus Contrariæ *Convertens*; quia Conclusio erat *Indirecta* (& sic in aliis Indirectis;) ex qua per *Conversionem Simplicem* necessariò sequitur Minoris *Contraria*, vel, per *Conversionem per Accidens*, ejus *Contradictoria.*

Fig. 2.

Fig. 2.	CES-	*N. brutum est rationale.*
	Ar-	*O. homo est rationalis.* Ergo,
	E.	*N. homo est brutum.*
		Reducitur ad
	FE-	*N. brutum est rationale.*
	rI-	*A. homo est brutum.* Ergo,
	O.	*A. homo non est rationalis.*
Fig. 3.	BO.	*A. animal non est homo.*
	CAr-	*O. animal est vivens.* Ergo,
	dO.	*A. vivens non est homo.*
		Reducitur ad
	BAr-	*O. vivens est homo.*
	bA-	*O. animal est vivens.* Ergo,
	rA.	*O. animal est homo.*

Quin & Modi *Particulares* & minùs Perfecti Figuræ primæ reducuntur ad *Universales* & perfectissimos; sed mediatè: DArII sc. imprimis ad CAMEStrES, & FERIO ad CESArE, (Modos Fig. secundæ) per *Impossibile*; eo pacto, quo Modi Fig. secundæ reducuntur ad primam; tum uterque *Ostensive* reducitur ad CElArEnt. Et sic tandem *Omnes Modi aliarum Fig.* (*adeoque omnes alii omnino*) *ad duos perfectissimos*, BArbArA *&* CElArent, *reduci possunt.* *Arist. l. 1. pr. c. 7. §. 9.* *Ibid. §. 9, 10, 12.*

Q. Quorsum est hæc *Reductio?* R. Ad eum convincendum, qui concessis Syllogismi Imperfecti præmissis negat ejus Consequentiam. Ex assumptâ enim Contradictoriâ Conclusionis negatæ (quam proinde concedere debet per Reg.

Reg. 1.) cum alterâ Præmissarum, quam priùs concessit, directè & evidenter (in Fig. 1ª.) infertur Contradictoria vel Contraria alterius Præmissæ, quam antea etiam concesserat; & sic Contradictoria vel Contraria esse simul vera cogetur admittere. Quòd si hanc ultimam Conclusionem esse falsam contendat (ut debet per Reg. 1. quia Contrariam vel Contradictoriam ejus ante pro verâ concesserat;) falsa quoque erit altera præmissarum (per Reg. 2.) Non illa (dicet) quam concesserat; ergo altera; cujus Contradictoria proinde vera erit (per Reg. 1.) quæ est ipsa Conclusio priùs negata. Tandem ergo fatendum est, primam Conclusionem fuisse veram:

Nota; etsi Syllogismi in Fig 2ª & 3ª sint minùs perfecti & evidentes, quàm in prima; non sunt tamen inutiles, sed sæpe necessarii ratione materiæ, quæ in Syllogismum Fig. 1. difficile, Fig. 2. verò vel 3. haud difficulter formari potest.

Hactenus de *Reductione.*

De EXPOSITIONE.

EXPOSITIO est, cùm loco Medii Communis Singulare sub illo contentum substituitur, ad eandem Conclusionem evidentiùs inferendam:

ut,

Quidam homo est doctus.
ut, *Omnis homo est animal,* Ergo,
Quoddam animal est doctum.

Siquis de hujus Illationis necessitate dubitet, Expositione *declaratur,*

Aristoteles est doctus.
sic *Aristoteles est animal.* Ergo,
Quoddam animal est doctum.

Ubi *Consequentia* est evidentior, propter Medium singulare & sensibile, quo Syllogismus fit conformior *Principio.* 1. *Dirigenti.*

Hic Syllogismus ab Arist : vocatur ἔκθεσις. Epositio (*vulgò* Syllogismus Expositorius;) *quoniam rem quasi oculis exponendo explicat, & captui magis accommodat Syllogismum Medio communi constantem, quem solum nomine Syllogismi dignatus est Arist. quia cùm Syllogismus in Logicâ sit instrumentum sciendi, & Scientiæ versentur circa Universalia, solus Syllogismus Communis erit Scientificus, adeoque verus Syllogismus Logicus; de quo proinde omnia de Syllogismo hactenus dicta sunt intelligenda.* An. pr. l. 1. c. 6. §. 6. 14.

Q. 1. In quâ Figurâ fit Syllogismus *Expositorius?* R. In omni, servatis Regulis specialibus cujusque Figuræ, hoc versu comprehensis, (cundâ.

Sic Minor affirmans Reliquis; *neget una* Se-
i. e. in Fig. 2. *sit una Præmissarum Negativa, in reliquis sit Minor affirmativa.* Et Modi ejus in qualibet Figurâ sunt duo,

duo, quorum in Fig. 1ª & 3ª, alter *affirmat*, alter *negat*; in Fig. 2ª. uterque *negat*.

Exempla Figuræ 1.

Messias debuit crucifigi.
1. *Jesus Christus est Messias.* Ergo,
Jesus Christus debuit crucifigi.

Præceptor Alexandri non fuit Atheniensis.
2. *Aristoteles est præceptor Alexandri.* Ergo,
Aristoteles non fuit Atheniensis.

Aff. sub A *vel* I, *sc.* BArbArA *vel* DArII; *neg. sub* E *vel* O, *sc.* CElArEnt *vel* FErIO, *continetur.*

Exempla Figuræ 2.

Princeps Stoicor. non est opt. philosophus.
1. *Aristoteles est optimus philosophus.* Ergo,
Aristoteles non est princeps Stoicorum.

Aristotelis præceptor est princeps Academic.
2. *Socrates non est princeps Academicorū.* Ergo
Socrates non est Aristotelis præceptor.

Primus continetur sub CESArE *vel* FEstInO; *alter sub* CAMEstrES *vel* BArOCO.

Exempla Figuræ 3.

Judas est impius.
1. *Judas est Apostolus.* Ergo,
Quidam Apostolus est impius.

Socrates non est improbus.
2. *Socrates est Ethnicus.* Ergo,
Quidam Ethnicus non est improbus.

Aff. continetur sub I, *sc.* DArAPtI, DISAMIS *vel* DAtISI; *Neg. sub* O, *sc.* FElAPton;

IAPton, BOCArdO *vel* FErISOn.

Si in his convertatur Conclusio, vel præmissæ transponantur, Indirectè *concludent*; *præterquam in Fig. 1ª. ubi ex transpositione præmissarum oritur Fig. 4ª. (ut vocant) de quibus sic instituatur* REGULA.

Affirmet Major *Reliquis*; neget una *secundâ*.

Q. 2. An omnes Syllogismi cujusq; Figuræ *Expositione* declarari possint? R. Non, sed particulares tantùm; quales sunt in DArII & FErIO Fig. 1. in FEstInO & BAroCO Fig. 2. & in omnibus Modis Fig. 3. quia Conclusio universalis ex præmissis singularibus inferri non potest; benè tamen particularis. Ex gr.

Figur. 1. DA- *O. homo est rationalis.*
rI- *A. animal est homo.* Ergo,
I. *A. animal est rationale.*

Exponitur

sic *Socrates est rationalis.*
A. animal est Socrates. Ergo,
A. animal est rationale.

2. FES- *N. homo est brutum.*
tI- *A. animal est brutum.* Ergo,
nO. *A. animal non est homo.*

Exponitur.

sic *N. homo est Bucephalus.*
A. animal est Bucephalus. Ergo,
A. animal non est homo.

3. DA- *O. homo est rationalis.*
rAP- *O. homo est animal.* Ergo,
tI. *A. animal est rationale.*

Exponitur

Socrates est rationalis.
sic *Socrates est animal.* Ergo,
A. animal est rationale.

Ex *quibus simul constat,* Expositionem *Fig. 3ª. factam cæteris longè prestantiorem esse, quia clarior est &* Evidentior : *utpote in qua* Medium *subjicitur ; & Singularium est maximè subjici. Cùm in reliquis* Figuris , (*quia prædicatur in alterâ vel utrâque præmissâ , & Singulare naturaliter non prædicatur,) minùs naturaliter, minúsque evidenter infertur Conclusio ; ut ex prioribus Exemplis patet.*

Hinc sequitur , Syllogismum Expositorium aptissimè fieri in tertiâ Fig, eamq; clarissimè exponere.

Nota.1. Syllogismum de Medio Singulari in Fig. 2. posse esse Affirmativum : ut,
Alexandri præceptor est princeps Peripatetic.
Aristoteles est princeps Peripateticorū. Ergo,
Aristoteles est Alexandri præceptor. Qui quidem propriè non est *Expositorius*, quia nullum Syllogismum exponit.

2. Syllogismum Expositorium sive de Medio Singulari in Fig. 2. quoad Propositiones posse esse Particularem seu Communem in utroq; Modo;& contra.

Exem-
1. *N. homo est Bucephalus.*
A. animal est Bucephalus. Ergo,
A. animal non est homo. Est in FEStInO ; sed non naturalis ob singu-

plum. singulare de cōmuni prædicatum

Socrates est homo.
2. *Bucephalus non est homo.* Ergo,
Bucephalus non est Socrates.

Unde patet, quòd *Non omnis Syllogismus Expositorius est singularis, nec Singularis omnis Expositorius.*

Hucusque de *Principiis* Syllogismorum; sequuntur ejus SPECIES.

Syllogismus est duplex, *Simplex* & *Compositus.*

Syllogismus *Simplex* est cujus omnes Propositiones sunt Simplices seu Categoricæ. Estq; *Purus* vel *Modalis.*

Syllogismus *Purus* est, cujus omnes Propositiones sunt *Puræ. Et hujusmodi sunt omnes Syllogismi priùs adducti.*

De SYLLOGISMO MODALI.

Syllogismus MODALIS est, qui constat utrâque vel alterâ saltem Præmissâ Modali. Prior *merè Modalis*, posterior *Mixtus* vocatur.

Nota 1. *Syllogismum Modalem sequi legem* Dicti *sui; adeo ut ejusdem* Figuræ *sit & Modi, cujus est ejus Dictum.*

2. *Hanc doctrinam plus curiositatis, quàm utilitatis habere, adeoque commodè omitti posse.*

Syllogismus *merè Modalis* constat utrâque præmissâ Necessariâ vel Contingente;

 aut

aut alterâ necessariâ, alterâ Contingente. *Nam Modus* Impossibile *sub Necessario continetur (utpote ad Necessariam Negativam exprimendam adhibitus, v. de Mod. oppos. & Convers.)* & Possibile *sub Contingente.*

1. Syllogismus Modalis ex solis *Necessariis* constans Puro seu Absoluto per omnia similis est, *Unde in tribus Figuris earumque* Modis *omnibus formari potest; quin &* Reduci *tum* Ostensivè *tum per* Impossibile, *& per* Expositionem *declarari, sicut* Dictum *ejus. Penes Terminos enim* Dicti *hæc omnia attendenda sunt: ut,*

Syl. BAr- *O. animal setire est necesse.*
bA- *O. hominē esse animal est necess. ergo,*
rA. *O. hominē sentire est necesse.*

Et idem est de merè Contingentibus *Syllogismis in Fig 1ª & 3ª. at in Fig. 2ª nihil concludunt. Præterea in Fig. 1ª. & 3ª. concludere licet* Indirectè: *in Fig. 1ª. quidem ex Majore Universali & minore Negativâ, sc. in* AEE.EEE.AOO.EOO. *in Fig. 3ª. verò ex utrâque Præmissâ Negativâ (modo Indefinitæ vel Particulares ambæ non sint,) sc. in* EEE.EOO. OEO. *Qui Modi, cùm* Imperfecti *sint, perficientur seu ad* Perfectos *reducentur* Conversione *Propositionis Negativæ, secundùm* oppositam Dicti Qualitatem, *Terminis non commutatis; quæ Conversio Propositionibus Contingentibus peculiaris est. Sed de his consule* Arist.

An. pr. l.1.c.13. 14. 17. 20.

Hinc

Hinc patet, quòd ex mere Contingentibus in Fig. 1ª. semper licet aliquid concludere, si Major sit universalis; & quidem si Minor sit Affirmativa, Directè; *sin Negativa,* Indirectè.

2. Syllogismus ex *Necessario* & *Contingente* sequitur legem Mistorum Contingentium; *de quibus paulò post.*

Syllogismus *Mixtus* constat alterâ Præmissâ Necessariâ vel Contingente, & alterâ Purâ seu Absolutâ.

1. De Syllogismo ex Præmissâ *Necessariâ* & *Purâ* mixto hæc est REGULA.

Ut Conclusio sit Necessaria, *Præmissa Universalis (Affirmativa sc. in Modis Affirmativis, & Negativa in Negativis) debet esse Necessaria; aliàs erit* Absoluta. Hinc

In Fig. 1ª. Si Major sit *Necessaria*, Conclusio erit *Necessaria*; aliàs Absoluta: ut,

1. CE- *N. brutum esse hominem est necesse.*
lA- *O. animal irrationale est brutum.* Ergo
rEnt. *N. animal irration. esse hominē est necesse.*

2. BAr- *O. animal currit.*
bA- *O. hominem esse animal est necesse.* Ergo
rA. *O. homo currit.* Non tamen necessariò.

In Fig. 2. Si Præmissa Universalis Negativa sit *Necessaria*, Conclusio erit *Necessaria*; aliàs *Absoluta*: ut,

1. CAM- *O. animal sentit.*
ES- *N. lapidem sentire est necesse.* Ergo,
trES. *N. lapidem esse animal est necesse.*

BA- *O. hominem esse animal est necesse.*
IO- *A. album non est animal.* Ergo,
CO. *A. album non est homo.* Vel,
2. BA- *O. quod currit est homo.*
IO- *A. animal non esse hominē est necesse.* gº.
CO. *A. animal non currit.*

In Fig. 3. Si præmissa universalis (Affirmativa in Affirmativis, & Negativa in Negativis) sit *Necessaria*, Conclusio erit *Necessaria*; aliàs *Absoluta. Unde ex alterutrâ præmissâ Necessariâ in* DArAPtI, *ex neutrâ in* BOCArdO, *sequitur Conclusio Necessaria:* ut,

DA- *O. hominem esse rationalem est necesse.*
1. rAP- *O. homo est animal.* Ergo,
tI. *A. animal esse rationale est necesse.*

BO- *A. nigrum non esse album est necesse.*
CAr- *O. nigrum est corpus.* Ergo,
dO. *A. corpus non est album.* Vel,
2. BO- *A. homo non est albus.*
CAr- *O. hominem esse corpus est necesse.* Ergo,
dO. *A. corpus non est album.*

Ex quibus patet, in Fig. 2ª. & 3ª. tum demum *Necessariam* fore Conclusionem, cùm Propositio illa, quæ in Syllogismo, ad Fig. 1. reductc, Majoris locum obtinet, necessaria fuerit.

In his Modos Indirectos, *eorumque ad Directos* Reductionem *nihil moror; pro quibus consulatur* Aristoteles.

2. Syllogismus alterâ præmissâ *Contingente*, alterâ *Purâ* (vel *Necessariâ*) constans eodem

eodem modo ſe habet, quo precedens: *niſi quòd in Fig.2ª.ex præmiſſâ Univerſali negativâ, Purâ (vel Neceſſariâ) concludatur* Contingenter; *& non aliter. Unde,*

In Fig. 1. Si Major ſit *Contingens*, Concluſio erit *Contingens Directa*: ſin Minor, erit *Indirecta*; (& etiam *Contingens*, ſi Modus ſit Negativus,) *idq; omnibus* 8 *Modis*; *ut ſc. Præmiſſæ ſint* AA. AE. EA. EE, AI. AO. EI. EO. *Hinc quotieſcunque Major eſt univerſalis, Modus erit* Syllogiſticus (*iſq;* Directus, *ſi Minor ſit Affirmativa*; Indirectus, *ſi Negativa*) *ſin Particularis ſit, erit* ἀσυλλογιςία.

In Fig: 2. Si Præmiſſa univerſalis Negativa ſit *Abſoluta* vel *Neceſſaria*, Concluſio erit *Contingens* (vel etiam *Abſoluta* ex Neceſſariâ Præmiſſâ) idq; *Directè*, ſi altera præmiſſa Contingens ſit Affirmativa, *Indirectè*, ſi Negativa; non aliter, i. e. *ſi præmiſſa Affirmativa aut particularis Negativa ſit Abſoluta vel Neceſſaria, nihil legitimè concludetur. Hinc nihil ſequitur in* BAROCO.

In Fig.3. Si alterutra præmiſſa ſit *Contingens* & altera *Pura* vel *Neceſſaria*, Concluſio quoque *Contingens* erit; *Directè* in 6 Modis (ſed *Impropriè*; quin & *Abſoluta* eſſe poteſt, ſi præmiſſa Negativa ſit Neceſſaria, & Affirmativa ſit Contingens:) ſin, Minore Contingente, ipſa vel utraque Præmiſſa ſit Negativa,

concludit *Contingenter Indirectè: aliàs (sc. si Minor Negativa sit Necessaria vel Absoluta, vel ambæ Præmissæ Indefinitæ aut Particulares) nihil Syllogisticè concludetur.* Ad Syllogismum Modalem revocatur *Exponibilis.*

De SYLLOGISMO EXPONIBILI.

Syllogismus EXPONIBILIS est, in quo reperitur propositio aliqua Exponibilis. Estque triplex, sc. *Exclusivus, Exceptivus & Reduplicativus.*

I. Syllogismus EXCLUSIVUS est, qui constat utrâq; vel alterâ saltem præmissâ Exclusivâ. *Et formari potest in qualibet Figurâ servatis Regulis Generalibus, atq; hac etiam speciali* REGULA.

Terminus *Exclusus* in Præmissis, exclusus erit in Conclusione, si eundem locum teneat *(i.e. si utrobique sit Subjectum aut Prædicatum;)* aliàs non.

Quoad Modos *verò, in quibus potest aut non potest formari, hoc esto Criterium.* Quando Expositis propositionibus Exclusivis in certâ Figurâ & Modo constituitur Syllogismus, est legitimus; aliàs non. *(Quod certis aliis Regulis comprehendi vix potest.)* Unde,

Primò, si omnes propositiones sint *Exclusivæ*, rectè concluditur in *Modis omnibus* Fig. 1. & 2. tam cum, quàm sine signis. At in Modis Fig. 3. cum signis tantùm

tantùm; & ex præmissis Universalibus universaliter; ex Minore verò particulari, ut & sine signis, nihil concluditur; nisi negatio toti præponatur Propositioni.

Secundo, Si altera tantùm Præmissarum sit *Exclusiva*, formatur Syllogismus in *omnibus Modis* cujusque Figuræ, dum Exclusiva Major sit signis affecta. Et præterea sive cum Signis, sive sine illis sumatur, sequitur quòd

1. Ex Minore Negante rectè concluditur in Fig. 1. (*ex eâque tantùm, quando* Major *est Affirmativa de* Exclus*o Subjecto sine Signo : at cum Signis universalibus vel particularibus, tam ex Affirmativâ quàm Negativa Minore, concludere licet :*) ut,

Fig. 1.

Solum animal rationale est disciplinæ capax.
N. brutum est animal rationale. Ergo,
N. brutum est disciplinæ capax:
Exponitur sic
O. disciplinæ capax est animal rationale. — CAM-
N. brutũ est animal rationale. g°, — ES-
N. brutum est disciplinæ capax. — trES.

Similiter si Minor *sit* Exclus*iva præpositâ Negatione; vel utraque præmissa Negativa, atque etiam utraque vel altera tantùm* Exclus*iva; unde colligetur Affirmativa Conclusio.*

2. Ex utrâque præmissâ Affirmativâ rectè concluditur in Fig. 2ª. (*ex eâque solâ, quando Major vel Minor est Affirmativa*

mativa de Excluso Subjecto sine Signo:) ut,

Solus homo est doctus.
O. philosophus est doctus. Ergo,
O. philosophus est homo.
Exponitur sic
O. doctum est homo. } BAr-
O. philosophus est doctus. Ergo, } bA-
O. philosophus est homo. } rA.

Fig. 2.

Item.
O. philosophus est doctus.
Solus homo est doctus. Ergo.
Solus homo est philosophus.
Exponitur sic,
O. philosophus est doctus.
O. doctum est homo. Ergo.
O. philosophus est homo. *Transpositis præmissis erit in* BArbArA.

Similiter ex utrâque Præmissâ Negativâ, atque etiam utrâque vel alterâ tantùm Exclusivâ; idque vel sine Signis (etiamsi Major sit particularis, si Minor tum Exclusiva sit) inferri potest Affirmativa Conclusio: Non verò ex alterâ tantùm Negativâ, nisi illa sit Major de Excluso Subjecto sine Signo particulari; vel Minor, Majore existente Exclusivâ Universali; vel denique Minor Exclusiva sit part. Negativa, cadente particulâ Exclusivâ in Subjectum ejus, non in Signum.

3. Ex Minore Negativâ (universali) rectè concluditur, etiam universaliter, in Fig. 3ª. *modo Major sit Exclusiva*: ut

Fig.

Fig. 3.

Solus homo est doctus.
N. homo est irrationalis. Ergo,
N. irrationale est doctum.
Exponitur sic,
O. doctum est homo.
N. homo est irrationalis. Ergo,
N. irrationale est doctum. Est in Fig. 4. & transpositis præmissis erit in CElAntES.

Similiter ex Majore Exclusivâ tam Aff. quàm Neg. cum & sine Signis; sive Minor etiam sit Aff. sive Neg. modo sit Universalis; (adeoque ex utraque præmissâ Neg. nisi Major sit Exclusiva particularis, aut negationem toti orationi præfixam habens) rectè concludetur. (Unde ex utraque Præmissâ Neg. cum Major est Exclusiva; non particularis nec Negationem sibi prefixam habens, rectè infertur Affirmativa Conclusio.) Ex *Minore verò de Excluso Subjecto, si negativa sit, nihil sequetur; sin Affirmativa sine signis vel cum particularibus, ex Majore tantùm universali; cùm signis verò universalibus, ex quacunque Majore, sequetur vera Conclusio.*

Ex quibus patet Syllogismum *Exclusivum*, si propositio Exclusiva exponatur, sequi Leges *Purorum*. *Nam quæ sunt Figuræ* 1. *erunt in* 2ª.; *quæ Fig.* 2. *erunt in* 1ª. *& quæ Fig.* 3. *erunt in* 4ª. *unde per transpositionem præmissarum fient in Fig.* 1ª.

Nota, Syllogismum Exclusivum *per omnes formas*

formas variari posse modis plusquam 3672.

II. Syllogismus EXCEPTIVUS est, in quâ est propositio aliqua Exceptiva. *Et formari potest in omnibus Modis cujusque Figuræ hâc observatâ* REGULA.

Terminus semel exceptus, utrobique excipiendus est. *h. e. si medius Terminus in unâ Præmissarum, etiam in alterâ; & si Major vel Minor, vel uterque in Præmissis, etiam in Conclusione excipiatur. Unde &* Terminus in Præmissis Exceptus, exceptus maneat in Conclusione.

III. Syllogismus REDUPLICATIVUS seu *Restrictivus* est, in qua reperitur propositio aliqua Reduplicativa.

REGULA.

Si Medius Terminus solus sit Restrictus, valebit Consequentia tantùm in Modis Affirmativis; ac per Consequens in sola Fig. 1ª. & 3ª. (at præcipuè in 3ª) non autem in 2ª. *Aliàs*, Si Major sit Reduplicativa nihil sequitur: sin Minor, in Modis Affirmativis etiam nihil sequitur; in Negativis verò benè valet Consequentia, modo Minor Restrictiva sit Affirmativa; aliàs non. *Adeoque in solis* AEE & AOO *Fig. 2. nihil sequitur.*

V. Arist. l. 1. pr. c. 38.

Sed hæc de Syllogismo *Simplici* seu *Categorico.*

De

De SYLLOGISMO HYPOTHETICO

Syllogismus Compositus est *Propriè* vel *Impropriè* sit dictus.

Syllogismus *propriè Compositus* (seu *Hypotheticus latè dictus*) est, cujus omnes vel aliqua saltem propositio est composita seu Hypothetica ; (prior dicitur *purè Hypotheticus* ; posterior ex parte tantùm seu *Mixtus*.) Estque triplex pro triplici propositione Hypothetica, ex qua constat, sc. *Conditionalis*, *Disjunctivus* & *Copulativus*.

De SYLLOGISMO CONDITIONALI.

I. Syllogismus CONDITIONALIS (seu *Hypotheticus strictè dictus*) est, cujus utraque vel altera saltem præmissa est *Conditionalis*. De quo est REGULA.

Si sola Major sit Conditionalis Conclusio erit Categorica ; aliàs Hypothetica.

Primò, Quando *utraque Præmissa* est Conditionalis, formari potest Syllogismus, (juxta Quantitatem, quam habere videtur) in omnibus Modis cujusque Figuræ, exceptâ tertiâ : ut,

Fig. 1.

BAr- *Si o. rationale est animal, est vivens.*
bA- *Si o. rationale est homo, est animal.* Ergo,
rA. *Si o. rationale est homo, est vivens.*

CE-

CE- *Si nullum rationale est insensitivum, nullum rationale est inanimatum.*
lA- *Si nullum rationale est homo, nullum rationale est insensitivum.* Ergo,
rEnt. *Si nullum rationale est homo, nullum rationale est inanimatum.*

Fig. 2.

CES- *Si omnia casu contingunt, mundus non regitur providentia.*
Ar- *Si detur Deus, mundus regitur providentia.* Ergo,
E: *Si detur Deus, omnia casu non contingunt.*

CAM- *Si datur Deus, mundus regitur providentia.*
ES- *Si omnia casu contingunt, mundus non regitur providentia.* Ergo.
trES. *Si omnia casu contingunt, non datur Deus.*

Et idem est, si Subjectum Antecedentis ubique sit Terminus Singularis vel Communis signo particulari affectus: ut,

Si Socrates (A. homo) est prudens, est justus.
Si Socrates (A. homo) est probus, est prudens. g°
Si Socrates (A. homo) est probus, est justus.

In quibus omnibus cavendum est, ut justo loco ponatur Negatio, ad reddendas eas Negativas. v. de Hyp. Qual. & Resol.

Secundò, Si *altera* tantùm *premissarum* sit Conditionalis habet duos solùm Modos.

Mod.

Mod. 1. A positione Antecedentis ad positionem Consequentis, (ponere *hic est eodem modo sumere, i. e. affirmatum affirmare, & negatum negare*;) qui Modus dicitur *Constructivus*, & innititur huic REGULÆ.

Si Antecedens sit verum, etiam Consequens (seu id, quod ex eo verè consequitur) verum erit.

Exempla prima.

1. *Si homo est animal, est vivens.*
Sed homo est animal. Ergo.
Est vivens.

2. *Si homo non est insensitivus, non est inanimatus.*
Sed homo non est insensitivus. Ergo,
Non est inanimatus.

Exempla secunda.

1. *Omne animal est vivens.*
Sed si rationale est homo, est animal. Ergo,
Si rationale est homo, est vivens.

2. *Quod non est insensitivum, non est inanimatum.*
Sed si rationale est homo, non est insensitivus. Ergo.
Si rationale est homo, non est inanimatū.

Mod. 2. A Remotione Consequentis ad remotionem Antecedentis; (Removere *hic est sumere Contradictorio modo, i. e. affirmatum negare, & negatum affirmare,*) qui Modus dicitur *Destructivus*, & innititur huic REGULÆ.

Si

Si consequens (seu id, quod ex aliquo verè consequitur) non sit verum; nec Antecedens (unde sequebatur) verum erit.

Exempla prima.

1. *Si virtus est vituperanda, non est laudanda.*
Sed virtus est laudanda. Ergo.
Non est vituperanda.

2. *Si virtus non est laudanda, est vituperanda.*
Sed virtus non est vituperanda. Ergo.
Est laudanda.

Exempla secunda.

1. *Quod est vituperandum, non est laudandum.*
Sed si datur virtus, est laudanda. Ergo.
Si datur virtus non est vituperanda.

2. *Quod non est laudandum, est vituperandum.*
Sed si datur virtus, non est vituperanda. g°.
Si datur virtus, est laudanda.

Nota. 1. In Syllogismis Hypotheticis ex Majore Categoricâ constantibus, Majoris Subjectum Antecedentis, & Prædicatum Consequentis vicem sustinere; adeo ut ad hos duos modos pertineant omnes: ut *ex allatis Exemplis constat.*

2. Huc revocari Syllogismos κατὰ πρόσληψιν dictos, qui excipiuntur à Regulâ generali, *Quòd ex Majore Conditionali infertur Conclusio Hypothetica* (quia sunt quasi Categorici;) idque in utroq; Modo: ut,

1. *Si Socrates est homo, est animal.*
Sed omne rationale est homo. Ergo.
Si Socrates est rationalis, est animal.

2.

2. { *Si brutum est disciplinæ capax, est rationale.*
Sed animal irrationale non est rationale. go.
Si brutum est animal irrationale, non est disciplinæ capax. }

Syllogismi *Hypothetici* ad Categoricos reducuntur, reductis solùm propositionibus Hypotheticis (*v. de Hyp. Resol.*) & *qui sunt primi Modi ad Fig.* 1. (*Aff. sc. ad* BArbArA; & *Neg. ad* CElArEnt.) *qui verò secundi omnes ad secundum, nempe ad* CESArE *ii, in quibus Major Categorica, vel Consequens Majoris Hypotheticæ, est Negativa; at in quibus est Affirmativa ad* CAMEStrES: *ut,*

In Exemplis Modi 1.

BAr- *O. animal est vivens.*
bA- *O. homo est animal.* Ergo,
rA. *O. homo est vivens.*

CE- *N. non insensitivum est inanimatum.*
lA- *O. homo est non insensitivus.* Ergo.
rEnt. *N. homo est inanimatus.*

In Exemplis Modi 2.

CES- *Nihil vituperandum est laudandum.*
Ar- *Omnis virtus est laudanda.* Ergo,
E. *Nulla virtus est vituperanda.*

CAM. *O. non laudandum est vituperandum.*
ES- *Nulla virtus est vituperanda.* Ergo,
trES. *Nulla virtus est non laudanda.*

At hujusmodi Syllogismus.

Si omne animal est substantia, omnis homo est substantia.
Sed omne animal est substantia. Ergo,

Omnis homo est substantia.

Reducitur sic,

Quale est animal, talis est homo.

Sed animal est substantia. Ergo,

Homo est substantia.

Vel transpositis Præmissis, sic.

O. animal est substantia.

O. homo est animal. Ergo, } BArbArA.

O. homo est substantia.

Hinc sequitur,

1. Quòd vitiosi sunt duo alii Modi concludendi (*& sunt duo tantùm*) sc.

Primò, A positione Consequentis ad positionem Antecedentis; (quia non valet, *Consequens est verum, ergo & Antecedens:*) ut, *Si equus est rationalis, est animal.*

Sed equus est animal. Ergo,

Est rationalis. Nam constat ex Præmissis Affirmativis in Fig. 2. ut patet ex Reductione, sic,

O. rationale est animal.

O. equus est animal. Ergo,

O. equus est rationalis.

Secundò, A remotione Antecedentis ad remotionem Consequentis; (quia non sequitur, *Antecedens est falsum, ergo & Consequens:*) ut;

Si equus est rationalis, est animal.

Sed equus non est rationalis. Ergo,

Non est animal. Nam constat ex Minore Negativa in Fig. 1. ut ostendit Reductio, sic

O.

O. rationale est animal.
N. equus est rationalis. Ergo,
N. equus est animal.

Quin & vitiosus est hic Syllogismus;
Si o. animal est rationale, o. bestia est rationalis.
Sed o. bestia non est rationalis. Ergo,
O. animal non est rationale.

Quia Minor, quæ debet esse Contradictoria Consequenti, & Conclusio similiter Antecedenti, eis tantùm Contrariæ sunt. Sic ergo institui debent.

Sed non omnis bestia est rationalis. Ergo,
Non omne animal est rationale.

2. Quòd nullus Syllogismus *Hypotheticus* in Fig. 3ª. formari potest (nisi per accidens & gratiâ materiæ,) quia sc. si reducatur, Conclusio erit Universalis in Fig. 3ª. *quòd ostendit illam hujusmodi propositioni Categoricæ inniti.*

3. Quòd omnes Syllogismi strictè *Hypothetici* seu *Conditionales* ad duos prædictos Modos, (qui sc. sunt Figuræ 1. ad primum, & qui Figuræ 2. ad secundum) pertinent seu reducantur: *ut ex propositis exemplis eorumque* Reductione *constat*

Nota, quòd eadem præcepta tenent de Syllogismis ex propositionibus *Causalibus* vel *Rationalibus* compositis.

Exempla prima.

Bar- *Quia homo est admirativus, est risibilis.*
bA- *Quia homo est rationalis, est admirativus.* ergo
rA. *Quia homo est rationalis, est risibilis.*

CE- *Quia sol lucet, non est nox.*
lA- *Quia sol est ortus, lucet.* Ergo,
rEnt. *Quia sol est ortus, non est nox.*

Exempla secunda.

Quia cera incalescit, mollescit.
Sed cera radiis solaribus exposita incalescit. ergo,
Sera radiis solaribus exposita mollescit,

Omne admirativum est risibile.
Sed quia homo est rationalis, est admirativus. ergo,
Quia homo est rationalis, est risibilis. Et sic in reliquis Figuris.

De SYLLOGISMO DISJUNCTIVO.

II. Syllogismus DISJUNCTIVUS est, cujus omnes vel aliqua saltem Propositio est Disjunctiva, Ejus duo sunt Modi,

1. Primus *Modus* in omnibus sequitur Syllogismos Categoricos ; ut,

O. animal est rationale vel irrationale. Bar-
Sed serpens est animal, Ergo, bA-
Serpens est rationalis vel irrationalis. rA.

Nota, quòd Syllogismus ex Disjuncto Medio valet tantum in Fig. 2. non autem in Fig. 1. vel 3. quia in his Disjunctio constituit quasi duplex Medium: ut,

Socrates vel Coræbus est indoctus.
Socrates vel Coræbus est philosophus. ergo,
Aliquis philosophus est indoctus.

2. Secundus *Modus* (Hypotheticis proprius) est cùm Major tantùm est Disjunctiva ; & procedit

A Remotione reliquarum partium ad positionem unius : ut,

Aut pax est, aut bellum, aut induciæ.
Sed neque pax est, neque bellum. Ergo,
Sunt induciæ.

A positione verò unius partis ad remotionem reliquarum, tum tantùm valet Consequentia, quando partes sunt *immediatè oppositæ* : ut,

Aut dies aut nox est.
Sed est dies. Ergo,
Non est nox. Non aliàs : ut,

Christus est in medio duorum vel trium congregatorum.
Sed est in medio duorum. Ergo,
Non trium.

Modus hic fundatur hâc REGULA,

Contrarium immediatorum alterum inesse, alterum non inesse necesse est subjecto capaci.

Ideo, Syllogismus Disjunctivus (necessariò concludens) est tantùm *Affirmativus* : qui ad *Hypotheticum* (& tum ad *Categoricum*) reducitur, reductâ propositione *Disjunctivâ*, sic,

Si neq; pax est, neq; bellum, sunt induciæ.
Sed neque pax est neque bellum. Ergo,
Sunt induciæ.

Negativa verò etiam ad *Copulativam* reducitur, sic,

Non est & dies & nox.
Sed est dies. Ergo,
Non est nox.

De SYLLOGISMO COPULATIVO.

III. Syllogismus COPULATIVUS est, cujus omnes vel aliqua saltem propositio est Copulativa. *Ejus duo tantum sunt* Modi.

1. Primus *Modus* in omnibus sequitur Syllogismos Categoricos, idque sive ex duabus tantùm (quæ ad minimum requiruntur) sive ex omnibus Propositionibus Copulativis constet. Unde & in omnibus Figuris & Modis uterque formari potest : ut,

BAr- *O. vivens est corpus; & omne corpus est substantia.*
bA- *O. homo est animal, & omne animal est vivens.* Ergo,
rA. *O. homo est vivens, & est substantia.*

BA- *O. rationale & mortale est homo.*
rO- *A. animal & album non est homo.* Ergo,
CO. *A. animal & album non est rationale & mortale.*

DA- *O. homo est rationalis & risibilis.*
rAP- *O. homo est vivens & sensitivus.* Ergo,
ti. *A. vivens & sensitivum est rationale & risibile.*

Item,

BAr;

BArbArA.

Quicquid est animal & rationale, est homo.
Quicquid est animal & risibile, est animal & rationale. Ergo,
Quicquid est animal & risibile, est homo.

O. animal habet gustum & tactum.
Ostrea est animal. Ergo,
Ostrea habet gustum & tactum.

O. animal est corpus.
O. quod est vivens & sensitivũ, est animal. go,
O. quod est vivens & sensitivum, est corpus.

Quod convenit toti, convenit parti.
Sed animal est totum, & homo est pars. go,
Quod convenit animali, convenit homini.

CAM- *O. animal habet gustum & tactum.*
ES- *Mandragora non habet gustũ & tactum.* go,
trES. *Mandragora non est animal.*

FE- *N. improbus est justus & temperans.*
rI- *A. improbus est doctus.* Ergo,
Son. *A. doctus non est justus & temperans.*

Sic & in *Relativis.*

Figu. 1.

Ubi (vel *Dum*) *Aristoteles audit, Plato disputat.*
Ubi (vel *Dum*) *Socrates legit, Aristoteles audit.* Ergo,
Ubi (vel *Dum*) *Socrates legit, Plato disputat.*

3.

Ubi Socrates legit, Plato disputat.
Sed Socrates legit in Schola.
Plato disputat in Schola.

Et in *Adversativis.*

Etsi Angelus est immaterialis, est creatus.
3. *Sed o. immateriale est immortale.* Ergo,
Etsi Angelus est immortalis est creatus.

Non aliter, sc. vel ex omnibus propositionibus Adversativis, vel in aliâ Figurâ, quàm tertiâ, fieri potest.

2. Secundus *Modus* (Hypotheticis proprius) est, cùm Major tantùm est Copulativa Negativa; proceditque

A positione unius partis ad remotionem reliquarum: ut,

Brutum non est irrationale, & agens liberũ.
Sed est irrationale. Ergo,
Non est agens liberum.

Qui juxta Modum 1. concluderet sic,

CE- *Brutum non est irrationale & agẽs liberũ.*
IA- *Canis est brutum.* Ergo,
rEnt. *Canis non est irrationalis & agens liberum.*

At à Remotione unius aut aliquarum partium ad positionem alterius reliquarumve, non valet Consequentia; quia possibile est Neutram convenire: ut,

Socrates non indoctus & intemperans.
Sed non est indoctus. Ergo,
Est intemperans.

Ut nec *à Positione unius ad positionem alterius*, quando Major est Copulativa Affirmativa; quia non dicitur plus in Conclusione, quàm fuit in Majore affirmatum; & sic erit *Nugatoria*; ut,

Homo est rationalis & risibilis.
Sed est rationalis. Ergo,
Est risibilis.

Ex quibus constat,

1. Omnes Syllogismos Copulativos esse *Negativos.*
2. Syllogismos Copulativos ad *Disjunctivos* vel *Conditionales* posse reduci; cùm Copulativa propositio Negativa *Disjunctivæ* æquivaleat aut *Conditionali:* ut, *Brutum non est irrationale & agens liberum.* Huic æquivalet, *Aut brutum non est irrationale, aut non est agens liberum.* Vel huic. *Si brutum est irrationale, non est agens liberum.* V. de Resol. Hyp.

Hæc de Syllogismo *propriè Composito.*

Syllogismus *impropriè Compositus* est, qui virtualiter continet plures Syllogismos. Dicitur Syllogismus *Redundans*; Estq; triplex PROSYLLOGISMUS, SORITES & DILEMMA, *qui omnes ex Categoricis & Hypotheticis coalescere possunt.*

De PROSYLLOGISMO.

I. PROSYLLOGISMUS est, in cujus alterâ Præmissâ continetur Propositio eam confirmans aut illustrans, (quæ specialiter dicitur *Prosyllogismus*;) & formatur in omnibus Modis cujusque Figuræ: ut,

Fig.

Figur. 1.

CE- *Nullus injustus est amandus.*
A- *O. Tyrannus (cum sit crudelis) est injustus.* Ergo,
rEnt. *Nullus Tyrannus est amandus,*

Et resolvitur in duos Syllogismos, quorum secundus erit *Prosyllogismus*, nempe loco alterius, ad *Minorem* ejus confirmandam, substitutus: ut,

CE- *Nullus injustus est amandus.*
lA- *Omnis Tyrannus est injustus.* Ergo,
rEnt. *Nullus Tyrannus est amandus.*

Minor confirmatur hoc *Prosyllogismo.*

BAr- *Omnis crudelis est injustus.*
bA- *Omnis Tyrannus est crudelis.* Ergo,
rA. *Omnis Tyrannus est injustus.*

Possunt & sic disponi, ut *Conclusio* prioris Syllogismi sit *Major* vel *Minor* posterioris; ut,

Fig. 2.

CAM *O. planta (cum sit vivens) nutritur.*
ES- *Nulli lapides nutriuntur.* Ergo,
trES. *Nulli lapides sunt plantæ.*

Resolvitur sic,

BAR- *O vivens nutritur.*
bA- *O. planta est vivens.* g°,
rA. *O. planta nutritur.* Sed CAM-
N. lapides nutriuntur. g°, ES-
N. lapides sunt plantæ. trES.

Fig. 3.

DA- *O. homo est disciplinæ capax.*
rAP- *O. homo (cũ sit animal) est vivens.* g°,
tI. *A. vivens est disciplinæ capax.*

Resolvitur sic,

BAR-

BAr- *O. animal est vivens.*
bA- *O. homo est animal.* Ergo,
rA. *O. homo est vivens.* Sed rAP-
O. homo est disciplinæ capax. g°, DA-
A. vivens est disciplinæ capax. tI.

In horum primo Prosyllogismus (*qui primum locum occupat*) Majorem, *in secundo* Minorem *probat*; *utpote cujus Conclusio in illo* Major, *in hoc sit* Minor *sequentis Syllogismi.*

Ex quibus Exemplis constat, quòd etsi hujusmodi Syllogismi formentur in quâvis Figurâ; eorum tamen *Prosyllogismi, specialiter sic dicti,* formari possunt tantùm in prima.

De SORITE.

II. SORITES (Σωρείτης) est quatuor plurimumve propositionum continua series, in qua de precedentis prædicato semper novum prædicatum dicitur, donec tandem ultimum prædicatum de primo Subjecto prædicatur. (Dicitur *Argumentatio à primo ad ultimum*) ut,

O. (vel, *A.*) *homo est animal.*
O. animal est vivens.
O. vivens est corpus.
O. corpus est substantia. Ergo,
O. (vel *A.*) *homo est substantia.*

Sic in *Conditionalibus*: ut,

Si

Si Socrates est homo, est animal.
Si Socrates est animal, est vivens.
Si Socrates est vivens, est corpus, &c.

Et in omnibus Syllogismorum generibus, tam *Hypotheticis*, quàm *Modalibus* & *Exponibilibus*; exceptis solis *Reduplicativis*.

Vim suam habet *Sorites* in Terminis duntaxat necessariò subordinatis, subordinatione sc. *Predicamentali* vel *Causali*, (ubi Causæ sunt per se;) cujus fundamentum est hoc AXIOMA.

Quicquid universaliter de predicato propositionis Affirmativæ, etiam de subjecto ejus dicitur. Unde quicquid de *Animali*, dicitur etiam de *Homine*.

Et ad minimum constat ex 4 Propositionibus (omnibus Affirmativis Universalibusque exceptis primâ & ultimâ, quæ possunt esse Particulares aut singulares:) aliàs nudus esset Syllogismus ex transpositis præmissis (seu in Fig. 4. ut vocant) aut *Enthymema*. Unde implicitè continet tot Syllogismos Affirmativos in Fig. 1. (sc. in BArbArA, quando omnes Propositiones sunt Universales; secùs in DArII,) quot sunt Propositiones inter primam & ultimam: in quibus quælibet erit *Major*, *Minor* autem in primo erit *prima Propositio*; in reliquis verò præcedentis Syllogismi *Conclusio*; ut in Ex. all.

Syl-

Syllog. 1 { O. *animal est vivens.*
O. (vel *A.*) *homo est animal.* Ergo,
O. (vel *A.*) *homo est vivens.* }

2. { O. *vivens est corpus.*
O. (vel *A.*) *homo est vivens.* Ergo,
O. (vel *A.*) *homo est corpus.* }

2. { O. *corpus est substantia.*
O. vel *A.*) *homo est corpus.* Ergo,
O. (vel *A.*) *homo est substantia.* }

BArbArA vel DArII.

Hinc constat nullam in *Sorite*, præter primam & ultimam propositionem, posse esse *Particularem* aut *Singularem*; nullamque omnino *Negativam*; quia aliàs resolveretur in Syllogismum de Majore Particulari aut Minore Negativâ in Fig. 1. contra Regulas ejus speciales.

Nota tamen quòd ex Negativis tam Categoricis, *quàm* Hypotheticis *constare quandoque videtur*: ut,

Quod (vel, *si*) *non est substantia, non est corpus.*
Quod (vel, *si*) *non est corpus, non est vivens.*
Quod (vel, *si*) *non est vivens, non est animal.*
Quod (vel, *si*) *non est animal, non est homo.* Ergo,
Quod (vel, *si*) *non est substantia, non est homo.*

Quia sc. hujusmodi propositiones Negativæ in Categoricas Infinitas *resolvuntur*: ut, *Non substantia est non corpus.* &c.

De DILEMMATE.

III. DILEMMA (δίλημμα) est Syllogismus Dis-

Disjunctivus, omnes Minoris partes rationibus confirmans; adeoque adversarium undique petens & feriens: Hinc *Cornutus* dicitur; ut,

Si dolor est formidandus, aut quia longus est, aut quia magnus.
Sed dolor longus est levis, & magnus est brevis. Ergo,
Dolor non est formidandus.

Dilemma resolvitur in unum Syllogismum *Conditionali-Disjunctivum* à remotione partium seu Consequentis, ad remotionem totius seu Antecedentis; & tot *Categoricos* (vel etiam *Conditionales*,) quot sunt membra Disjunctionis vel partes remotæ, ex quibus singulis, cum suis Prosyllogismis, singuli fiunt Syllogismi, remotionem earundem confirmantes; ut,

Disjunct.
Si dolor est formidandus aut quia longus est, aut quia magnus.
Sed nec quia longus est, nec quia magnus. Ergo,
Non est formidandus.

Membra *Minoris* confirmantur:

1. *Dolor levis non est formidandus.*
Dolor longus est levis. Ergo,
Dolor longus non est formidandus.

2. *Dolor brevis non est formidandus.*
Dolor magnus est brevis. Ergo,
Dolor magnus non est formidandus.

CElArEnt.

Inefficax est *Dilemma*. 1. Cùm Membra ejus non sunt immediatè *opposita.*

2.

2. Cùm non sunt rationibus satis *firmata*, ut undique feriant. 3. Cùm retorqueri possit; *ut in notissimo illo Protagoræ ab Evathlo in ipsam retorto, apud Gell l. 5. c. 10.*

Atque hactenus de *Argumentatione Formali.*

Argumentatio *Materialis* est, cùm in aliquâ similis Formæ dari potest Antecedens verum, Consequente falso;

ut { *O. homo est sensitivus.* Ergo, *O. homo est animal.* } Cui similis est

hæc { *Omnis homo est sensitivus.* Ergo, *Omnis homo est brutum.* }

In quâ Terminus, qui ponitur tantùm in Antecedente, dicitur *Inferens*; ut, *Sensitivus*; qui in Consequente, dicitur *Illatus*; ut, *Animal*; & qui in utroque (quod fit, quoties sunt tantùm tres Termini) vocatur *Communis*; ut, *Homo.* Estque hæc Argumentatio tum *verà*, cùm in nullâ similis Formæ & Materiæ (i. e. in qua Termini *Inferens* & *Illatus* sunt iidem, vel saltem eandem inter se habent habitudinem) dari potest Antecedens verum, Consequente falso. Et talis dicitur *materialiter* vera, i. e. gratiâ Materiæ seu *veritate Consequentis.* Estque triplex, sc. ENTHYMEMA, INDUCTIO & EXEMPLUM.

De DNTHYMEMATE.

Arist. l. 2 Pr. c. 27. §. 1, 2, 3.

I. 'ΕΝΘΥ'ΜΗΜ'Α ἐστὶ συλλογισμὸς [ἀτελὴς] ἐξ εἰκότων ἢ σημείων. ENTHYMEMA est Syllogismus [imperfectus] ex verisimilibus aut signis. 'Εικὸς ἐστὶ πρότασις ἔνδοξος. *Verisimile* est propositio probab is. Σημεῖον ἐστὶ πρότασις ἀποδεικτικὴ ἢ ἀναγκαία ἢ ἔνδοξος. *Signum* est propositio apta ad probandum, seu necessaria seu probabilis. *Dicitur Syllogismus* Imperfectus, *quia constat duabus tantùm propositionibus*; *quarum prior vocatur* Antecedens, *posterior* Consequens; *&* *ejus Consequentia ex priore dicitur* Argumentum. *Tertia verò Propositio (nempe altera Præmissarum) vel reticetur, vel in Consequente continetur. Unde duplex exurgit species* Enthymematis.

1. Quando altera præmissarum reticetur; quod dici potest *Enthymema Cagoricum*; ut,

Exempl.

1. *O. animal est substantia.* Ergo, *O. homo est substantia.*
2. *O. avarus eget.* Ergo, *N. avarus est dives.*
3. *Virtus efficit felices.* Ergo, *Vitium efficit miseros.*

Utra verò præmissarum deest ex hac dignoscatur.

REGULA.

Si

Si subjectum Consequentis ponatur in Antecedente, deest Major; si prædicatum, Minor: si neutrum, deest Major Hypothetica; *quâ additâ perficietur Syllogismus. Sic*

In Exemplo 1. additâ Minore: ut,

BAr. *O. animal est substantia.*
bA- *O. homo est animal.* Ergo,
rA. *O. homo est substantia.*

In Exemp.2. additâ Majore Categor. ut,

CES- *Nullus dives eget.*
Ar- *Omnis avarus eget.* Ergo,
E. *Nullus avarus est dives.*

In Exemp.3. additâ Majore Hypoth. ut,

Si virtus efficit felices, vitiū efficit miseros.
Sed virtus efficit felices. Ergo,
Vitium efficit miseros.

Quin & omnia hujusmodi Enthymemata *reduci possunt ad perfectos* Syllogismos, *additâ etiam* Majore Hypothetica; *solùm ultimum aliter reduci non potest: sicut nec quando Consequens Affirmativum ex Antecedente Negativo ejusdem prædicati infertur;* ut,

Brutum non est rationale, Ergo,
Homo est rationalis.

Reducitur sic. (*nalis;* (vel,
Si brutū non est rationale, homo est ratio-
Aut brutum aut homo est rationalis.)
Sed brutum non est rationale. Ergo,
Homo est rationalis.

Hinc liquet, ex omne genus Syllogismis, alterâ

tantùm præmissâ (Majore *sc. in* Hypotheticis; alterutrâ *verò in* Categoricis) *truncatis*, *fieri* Enthymemata; *at ad quem Modum cujusque Figuræ illa reducenda sunt, ex prædictâ Regulâ constabit.*

2. Quando altera præmissarum in Consequente (Hypotheticâ) continetur; (quod inde dici debet *Enthymema Hypotheticum*) sc. vel

Minor; ut,

BAr- *O. animal est vivens.* Ergo,
bArA. *Si o. homo est animal, o. homo est vivens.*

CAM- *O. vir prudens est probus.* Ergo,
EStrES. *Si nemo vitiis deditus est probus, nemo vitiis est prudens.*

Major; ut,

lAP *O. materia est substantia.* Ergo,
FE ton. *Si n. materia cogitat, A. substantia non cogitat.*

lA *O. forma bruti est materialis.* Ergo,
CE rEnt. *Si n. materiale cogitat, n. forma bruti cogitat.*

Ex quibus simul constat, quòd in omnibus Modis cujusvis figuræ Syllogismorum Categoricorum (quos actu in se continent) hujusmodi formari possunt Enthymemata.

Arist. l. 1. Top. c. 12. §. 4. & l. 2. pr. c. 23.

De INDUCTIONE.

II. Ἐπαγωγή ἐστιν ἀπὸ τῶν καθ᾽ ἕκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος. INDUCTIO est à singularibus ad

ad universalia progressio. i. e. Argumentatio, in quâ Universale Distributum aut Totum infertur ex omnibus minùs communibus aut Partibus. Quæ vel expressè numerantur, & dicitur *Inductio Explicita*; vel numeratis aliquibus reliquæ adjectâ clausulâ, *& sic de cæteris*, vel aliâ consimili significantur, & *Implicita* vocatur. Fundamentum *Inductionis* est hoc

AXIOMA.

Quod omnibus Inferioribus vel Partibus, illudSuperiori vel Toti convenit aut non convenit; ut in Exemplis.

1. Ex Individuis infertur Species: ut,
Dionysius, Phalaris, Nero, Caligula, cæteriq; Tyranni malè perierunt. Ergo,
Omnes Tyranni malè perierunt.

2. Ex Speciebus infertur Genus: ut,
Nec homo nec brutum est sensûs expers. Ergo,
Nullum animal est sensûs exxpers.

3. Ex Partibus infertur Totum: ut,
Lex Prophetæ, Evangelia, & scripta Apostolorum sunt Θεόπνευστα. Ergo,
Tota Scriptura sacra est Θεόπνευστος.

Ex *quibus liquet* Inductionem *constare duabus propositionibus*, *sc.* Antecedente & Consequente, *sicut* Enthymema; & *similiter reduci ad perfectum Syllogismum vel* Hypotheticum, *additâ Majore Hypotheticâ, vel* Categoricum *Figuræ.* 1. *vel* 3. (*nunquam autem secundæ propter com-*

 mune

mune prædicatum) additâ Minore Categoricâ: ut,

Exempl. 1:

Si Dionysius, Phalaris, Nero &c. malè perierunt, omnes Tyranni malè perierunt.
Sed Dionysius, Phalaris, Nero &c. malè perierunt. Ergo,
Omnes Tyranni malè perierunt.

Exemp. 2. Fig. 1.

Nec homo nec brutum est sensûs expers.
Sed omne animal est homo aut brutum. g°,
Nullum animal est sensûs expers.

Exemp. 3. Fig. 3.

Lex, Prophetæ, Evangelia & Scripta Apostolorum sunt Θεόπνευστα.
Sed Lex, Prophetæ, Evangelia & Scripta Apostolorum sunt tota Scriptura s. g°,
Tota Scriptura sacra est Θεόπνευστος

Inductionis præcipuus usus est ad probandum *prima & Universalissima Scientiarum Principia*, quorum non dantur Causæ seu priora & notiora, per quæ possint demonstrari; adeoque cùm veritas eorum in Singularium veritate fundetur, quàm adductis in medium Singularibus, meliùs probari non possunt. Et evertitur *Inductio*, cùm datur ἔνστασις *Instantia* in contrarium, seu *Exceptio*.

De EXEMPLO.

III. ΠΑΡΑ'ΔΕΙΓΜΑ' ἐστιν, ὅταν τῷ μέσῳ τὸ ἄκρον ὑπάρχον δειχθῇ διὰ τοῦ ὁμοίου τῷ τρίτῳ. EXEMPLUM est, cùm Extremum Medio inesse ostenditur per simile tertio. i. e. est ab uno vel quibusdam Singularibus propter aliquam Similitudinem progressio. Unde *Arist. l. 2 pr. c. 24.*

Exemplum aliud est *unius*, aliud *plurium Singularium*; nullum verò *omnium*. Et fundatur hâc

REGULA.

Similibus eadem aut Similia conveniunt: ut

1. { *Bellum Thebanorum contra Phocenses finitimos fuit malum.* Ergo, *Bellum Athenienſium contra Megarenses finitimos fuit malum.* }

2. { *David, Petrus & fur pœnitentes misericordiam impetrarunt.* Ergo, *Nos pœnitentes misericordiam impetrabimus.* }

Hinc patet Exemplum *constare duabus propositionibus*, *sc.* Antecedente & Consequente, *sicut* Enthymema; & *eodem modo reduci ad perfectum Syllogismum, vel* Hypotheticum, *additâ Majore Hypotheticâ*; *vel* Categoricum, *Figuræ* 1. *vel* 3. (*nunquam secundæ, ut de* Inductione *dictum est*) *additâ Minore Categoricâ similitudinem exprimente*: ut,

Exemp: 1.

Si bellum Thebanorum contra Phocenses finitimos fuit malum, tum bellum Atheniensium contra Megarenses finitimos fuit malum.
Sed bellum Thebanorum contra Phocenses finitimos fuit malum. Ergo,
Bellum Atheniensium contra Megarenses finitimos fuit malum.

Exemp. 2. Fig. 1.

David, Petrus & fur pœnitentes misericordiam impetrârunt.
Sed nos penitentes similes sumus Davidi, Petro & furi penitentibus. Ergo,
Nos pænitentes misericordiam impetrabimus.

Exemp. 1. Fig. 3.

Bellum Thebanorum contra Phocenses finitimos fuit malum.
Sed bellum Thebanorum contra Phocenses finitimos est simile bello Atheniensium contra Megarenses finitimos. Ergo,
Bellum Atheniensium contra Megarenses finitimos fuit malum.

Exemplum facillimè evertitur ostensâ *Dissimilitudinis* ratione. Idcoque illustrat magis quàm probat ; nam suadet, non cogit : nec tam *Logicis* proinde, quàm *Rhetoribus* aptum est.

Hucusque de Argumentatione *Absolutè considerata*.

Argumentatio bona *Ad certam materiam restricta* est duplex, pro duplici materia, circa quam versatur ; sc. 1. *De-*

1. *Demonſtratio*, quæ verſatur circa materiam *neceſſariam*; &
2. *Dialecticus* ſeu *Topicus* Syllogiſmus, qui circa *probabilem.* Quarum 1ª. parit *Scientiam*; 2ª. *Opinionem.*

De DEMONSTRATIONE.

ἈΠΟΔΕΙΞΙΣ ἐστὶ Συλλογισμὸς ἐπιστημονικός. DEMONSTRATIO eſt Syllogiſmus ſcientiam pariens. *Ariſt. l. 1 poſt c. 3.*

Scientia verò eſt duplex, *Quòd ſit*, & *Quid ſit.*

Scientia *Quòd ſit* eſt quævis certa & evidens rei cognitio, non per Cauſam proximam comparata. *Ibid. c. 14.*

Scientia *Quid ſit* eſt cognitio rei per Cauſam proximam; *quæ ſola eſt propriè dicta Scientia, & ab Ariſt: ſic definitur.*

Ἐπίστασθαι οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστι, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. *Ibid. c 3.*

Scire putamus unamquamque rem ſimpliciter, cùm putamus Cauſam cognoſcere, propter quam res eſt, quòd illius rei cauſa eſt, nec poſſe rem aliter ſe habere. Hinc oritur duplex ſcientiæ *Certitudo*, altera *Objecti* ſeu *Scibilis*, quando res per proximam Cauſam cognoſcitur; altera *Subjecti* ſeu *Scientis*, quando Sciens certus eſt rem non poſſe aliter ſe habere, quia ſcit ſe per Cauſam proximam il-

Jam cognoscere. Per illam *Scientia* distinguitur ab *Errore*; per hanc etiam ab *Opinione*, quæ includit formidinem Oppositi.

Propter duplicem hanc Scientiam duplex datur Demonstratio, sc.

Τοῦ ὅτι, quæ parit Scientiam *Quòd sit*, sive quæ solùm probat rem esse aut non esse. Et

Τοῦ διότι, quæ parit Scientiam *Quid sit*, sive quæ reddit Causam, cur res sit aut non sit; & ab Arist. sic definitur.

Ibid. c. 3

Ἀπόδειξίς ἐστι συλλογισμὸς ἐπιστημονικὸς ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων καὶ ἀμέσων καὶ γνωριμωτέρων καὶ προτέρων καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος. *Demonstratio est Syllogismus scientiam pariens ex veris & primis & immediatis & notioribus & prioribus & causis Conclusionis.* Cujus considerandi sunt *Termini* & *Propositiones*.

Termini Demonstrationis sunt tres; *Major*, qui est Affectio vel propria Passio; *Minor*, qui est Subjectum istius Affectionis; & *Medius*, qui est Principium vel Causa ejus.

Propositiones ejus sunt *Conclusio*, in qua Affectio de Subjecto ejus prædicatur; & *Præmissæ*, quarum in hac Definitione ponuntur 5 *Conditiones*, sc. 2 *Absolutæ* & 3 *Relatæ*.

1. De Conditionibus *Absolutis*.

Conditiones *Absolutæ* sunt, quæ præmissis

sis in se consideratis conveniunt; suntq; *Necessitas* & *Immedietas.*

I. *Necessitas* est prædicati cum Subjecto indissolubilis nexus, quo propositiones ita sunt veræ, ut nunquam possint esse falsæ. Cujus 3 sunt Gradus, sc. *De omni, Per se,* & *Quatenus ipsum.*

1. ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΟΣ μὲν τοῦτο λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐπὶ τινὸς μὲν, τινὸς δὲ μή· μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ μή. DE OMNI dico, quod non est in aliquo quidem, in aliquo verò non: neque aliquando quidem, aliquando verò non. i. e. Propositio *de omni* est, cujus prædicatum omni Subjecto semper convenit: ut, *Omnis homo est animal.* Dicitur *de Omni Posterioristicum,* ad quod Universalitas Subjecti & temporis requiritur. Nam Universalitas Subjecti tantùm facit *de Omni Prioristicum,* quod absolutè vocatur Propositio Universalis: ut, *Omnis arbor viret.* Prioris Universalitas *ex naturali habitudine* prædicati ad Subjectum: posterioris ex *signo Universali* attenditur.

Nota, Propositiones *Universales Negativas* huc reduci; quia sunt semper (& proinde necessariò) *veræ*, ac Universalibus Affirmativis Infinitis ex parte Prædicati æquipollentes: ut, *Nullus homo est lapis*; huic, *Omnis homo est non lapis*. æquipollet.

2. ΚΑΘ' ΑΥΤΟ. PER SE est, cùm inter *Ibid.* Subje-

Subjectum & Prædicatum est nexus Essentialis. Hujus 4 sunt Modi; quibus opponuntur 3 Modi dicendi *Per Accidens*.

Mod. 1. Καθ' αὐτὰ δ' ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστι. *Per se* sunt, quæcunque insunt in eo, quod quid est. i. e. quando Prædicatum est de Definitione Subjecti; nempe *Genus* ejus. aut *Differentia* (sive *Proxima* ea sint, sive *Remota*) aut integra *Definitio*: ut, *Homo est animal*; *est rationalis*, &c.

Mod. 2. Καθ' αὐτὰ ἐστιν, ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς, αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ τί ἐστι δηλοῦντι. *Per se* sunt, quæcunque respectu attributorum suorum insunt in oratione declarante quid sint. i. e. quando Subjectum est de Definitione Prædicati; quod fit quoties *Proprium* (*Genericum* aut *Specificum*) de Specie prædicatur: ut, *Homo est risibilis*; *est mobilis*, &c. His duobus Modis *dicendi Per se* opponitur.

Primus Modus *dicendi Per Accidens*, quando neuter Terminorum est de Definitione alterius; quod fit, quoties *Accidens commune* de Subjecto suo prædicatur; aut contra: ut, *Americani sunt nudi*.

Mod. 3. Καθ' αὐτὸ ἐστιν, ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός. *Per se* est, quod non de Subjecto alio quopiam dicitur. i. e. quando

quando Existentia prædicatur de Substantia: ut, *Homo est.* (Hujusmodi dicuntur Propositiones *Secundi Adjacentis*, suntque prorsus indignæ, quæ inter *Modos per se* numerentur; cùm non sint necessariæ, quia Existentia nulli Enti creato necessariò convenit: ideoque ad Demonstrationem sunt inutiles, in qua probatur *Accidens proprium*, non Existentiam, convenire Subjecto. Huic opponitur,

Secundus Modus *dicendi per Accidens*, cùm Existentia de Accidente prædicatur: ut, *Albedo est.*

Mod. 4. Τὸ δι' αὐτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ, καθ' αὐτό. *Per se* est, quod inest alicui propter se. i. e. quando Causa Externa (*Efficiens* aut *Finis*) prædicatur de Effectu suo, aut contra: ut, *Superbi sunt ignari. Respiratio est ob refrigerium cordis.* Ei opponitur,

Tertius Modus *dicendi per Accidens*, cùm Causa fortuita aut valdè remota prædicatur de Effectu; aut contra: ut, *Hostem petens occîdit amicum.*

Nota omnes Modos dicendi per Accidens *à Demonstratione prorsus excludi; quia non faciunt Propositiones* Necessarias, *ex quibus solis constat Demonstratio.*

3. ΚΑΘΟΛΟΥ ΠΡΩΤΟΝ ἐστιν, ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ, καὶ καθ' αὐτό, καὶ ᾗ αὐτό. UNIVERSALE PRIMUM est, quod & omni inest,

est, & per se. & quatenus ipsum, i. e, quando inter Prædicatum & Subjectum est nexus reciprocus: ut, *Omnis homo est risibilis. (Omne risibile est homo.)* Hoc fit quoties prædicatum primo suo Subjecto tribuitur, cui convenit, quà tale est, seu cum Reduplicatione, (sive cum prædicatur *Proprium*, *Differentia* vel *Proxima Causa:*) ut, *Homo, quà homo, est risibilis.* Hinc dicitur *Universale primum* seu *Quatenus ipsum.*

Horum Graduum *posterior* semper includit *priorem*, eoque perfectior est. Nam Primus solùm *Universalitatem Subjecti* & *Temporis* denotat. Secundus addit *Nexum Essentialem.* Tertius *Reciprocationem.*

In Demonstratione oportet, ut omnes Propositiones sint *De Omni.*

II. *Immedietas* est, quando inter Subjectum & Prædicatum nullum intercedit Medium. Estq; duplex pro duplici Medio; sc.

1. Immedietas *Subjecti*, quando nullum intercedit Subjectum, cui Prædicatum priùs inest; quod fit in omni propositione *Universali primùm*: ut, *Homo est risibilis.*

2. Immedietas *Causæ*, quando nulla intercedit Causa, propter quam prædicatum inest Subjecto; quod fit in propositionibus *primò & per se notis*: ut, *Totum*

est

eſt majus ſuâ parte. Homo eſt rationalis.

Propoſitiones ergo ſunt *primæ & immediatæ*, quarum non datur Medium, aut *ineſſendi* Prædicati in Subjecto, aut *demonſtrandi* Prædicati de Subjecto: quæ ultimæ hinc dicuntur *Indemonſtrabiles* & PRINCIPIA. Eaque ſunt vel *Eſſendi* vel *Cognoſcendi.*

PRINCIPIA ESSENDI ſunt, quæ dant eſſe rei; ut, *Materia* & *Forma* Syllogiſmi (ſc. *Propoſitiones*, & *Figura* ac *Modus*) quæ illum faciunt eſſe Syllogiſmum.

PRINCIPIA COGNOSCENDI ſunt, quæ ad cognitionem rei conducunt, (& hujuſmodi ſunt omnia Principia *Eſſendi*; non contra) ſuntque *Communia* vel *Propria.*

Principia *Communia* ſunt. quæ pluribus Scientiis accomodari poſſunt: ut, *Idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe.*

Principia *Propria* (οἰκεῖα τῆς ἐπιστήμης) ſunt, quæ ad unam duntaxat Scientiam ſpectant: ut, *A quolibet puncto ad quodlibet rectam lineam duci poſſe*, ad Geometriam; *Ex nihilo nihil fit*, ad Phyſicam; *Contraria contrariis ſanantur*, ad Medicinam; &c.

His tantùm Principiis licet uti in Demonſtrationibus, non *Communibus* aut *Alienis*, dicente Ariſt. οὐκ ἔστιν ἐξ ἄλλου γένους *L. 1. poſt*
μεταβάντα δεῖξαι. *Non licet ex alio genere* c. 8.
tranſeuntem demonſtrare. i. e. non licet

Con-

Conclusiones unius Scientiæ per Principia alterius demonstrare: ut, *Conclusiones Physicas* per *Principia Mathematica*, &c. Quia quævis Scientia suis limitibus conclusa habet *Subjectum*, *Affectiones* & *Principia* sibi *propria*; adeo ut qui unum illorum aliunde accersit, eâdem ferè operâ trahat omnia, & confusa reddat Scientiarum Subjecta. Ideo demonstrandum est ἐκ τῶν ἑκάστου ἀρχῶν, ᾗ ἐκεῖνο. *Ex uniuscujusque Principiis, quatenus tale est*, i. e. ex Principiis Propriis, quæ sunt *Axiomata* vel *Theses*.

Ibid. c. 10. AXIOMATA (Ἀξιώματα. i. e. *Dignitates*) sunt Principia, quorum veritas, cognitâ significatione vocabulorum, à nemine ignorari potest: ut, *Quæ conveniunt in eodem tertio, conveniunt inter se.*

THESES sunt Principia, quorum veritatas ex sensuum judicio vel aliquali declaratione innotescit. Suntque *Hypotheses* vel *Definitiones*.

HYPOTHESIS est, quâ, an res sit aut non sit, enunciamus: ut, *Esse hominem*; *Esse Deum*; *A quovis puncto ad quodvis punctum rectam lineam duci posse*; &c. Quædam ex his dicuntur Αἰτήματα POSTULATA.

DEFINITIO est, quâ, quid res sit, enunciamus: ut, *Homo est animal rationale.*

In Demonstratione *Major* Propositio utroque modo *Immediata* (vel quasi immediata)

diata) esse debet: ut verò *Minor* sit talis, non est necesse.

Hæc de Conditionibus *Absolutis*.

2. De Conditionibus *Relatis*.

Conditiones *Relatæ* sunt, quæ Præmissis, quatenus Conclusioni comparatis, conveniunt. Suntq; tres, *Prioritas*, *Notioritas* & *Causalitas*. Præmissæ enim debent esse *Priores*, *Notiores* & *Causæ* Conclusionis.

I. *Priores*, non *tempore* (quia simul veræ sunt Præmissæ & Conclusio) sed *naturâ*. Nam Conclusio est vera propter Præmissas; non contra. Hinc dicuntur PRINCIPIA ESSENDI Conclusionis,

II. *Notiores*, sc. *Naturâ*, & etiam *nobis* cognitione distinctâ: quia ignotum per notius semper demonstratur; non contra. Hinc dicuntur PRINCIPIA COGNOSCENDI Conclusionem.

Quocirca cùm omnis *Cognitio Dianoëtica* ἐκ προϋπαρχούσης γίνεται γνώσεως *ex præexistenti fiat Cognitione*, necesse est, ut aliqua dentur PRÆCOGNITA Demonstrationis; quæ sunt tria, sc. *Subjectum*, *Passio* & *Dignitas*. Modi autem illa præcognoscendi dicuntur PRÆCOGNITIONES; quæ sunt duæ, *An sit*, & *Quid sit*. *Arist. l. 1. post c. 1.*

Pro quibus notandum est, quòd 4 Quæstiones in rerum cognoscendarum disquisitione institui possint; sc. Εἰ ἐστι; τί ἐστι; Ὅτι ἐστὶ, καὶ Διότι ἐστὶ; *An sit?*

Quòd

Quid sit? Quod sit; & *Propter quid sit?* quæ dicuntur *Quæstiones Scibiles.*

AN SIT? quærit τὸ εἶναι sive *Existentiam* Subjecti vel Prædicati Quæstionis: ut, *An sit homo? An sit risibile?*

QUID SIT? duplex est, Nominis vel Rei. *Quid Nominis* (τὸ τί λεγόμενον) quærit significationem vocis: ut, *Quid homo; Quid risibile significat? Quid Rei* quærit naturam seu Definitionem rei per vocem significatæ: ut, *Quid est homo?*

Hæ duæ vocantur *Quæstiones Simplices*, quia de Terminis simplicibus (*Substantiâ* vel *Accidente*) quærunt; ac proinde debent ante Demonstrationem cognosci (unde PRÆCOGNITIONES appellantur;) non sciri per Demonstrationem. Nam Quæstio Demonstrationis est Quæstio Conclusionis; ideoque *Complexa.*

QUOD SIT, sive UTRUM SIT? quærit connexionem Prædicati propositionis cum Subjecto, sive, An Prædicatum insit Subjecto: ut, *Utrum homo sit risibilis?*

CUR SIT, sive PROPTER QUID SIT? quærit Causam connexionis Prædicati cū Subjecto, sive, Propter quam Causam Prædicatum Subjecto attribuitur: ut, *Cur homo est risibilis?*

Hæ duæ vocantur *Quæstiones Complexæ*, quia

quia de integris Propositionibus quærunt; & versantur circa sola *Accidentia*, *An* & *Cur* insint Subjectis suis inquirendo. Proinde de *Accidentibus* (iisque *Propriis*, certam inhærendi Caussam habentibus) solùm procedit Demonstratio; quæ aut quæstioni *Quòd sit* solvendæ inservit, qualis est *Demonstratio* τὸ ὅτι; aut quæstioni *Propter quid sit?* cujusmodi est *Demonstratio* τοῦ διότι.

Harum 4 Quæstionum tertia se habet ad quartam, ut prima ad secundam. Tunc enim quærimus Quid sint *in Simplicibus Terminis, cùm novimus* An sint: *Et tum quærimus* Cur sint *in Propositionibus, cum novimus* Quòd sint.

His notis,

1. De *Subjecto* Quæstionis præcognoscendum est, *An sit?* (quia οὐκ ἔστι τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι quod non est, sciri non potest) & *Quid sit*; non *Nominis* solùm, sed & *Rei*, saltem *confusè*. Nam de re planè ignotâ nullæ Affectiones demonstrari possunt. Præcognitio *An sit*, dicitur HYPOTHESIS; *Quid sit*, DEFINITIO. *Arist. l. 1 post. c. 3.*
2. De *Passione* seu *Affectione* solùm præcognoscendum est, *Quid nomen significet*. Nam *An sit* & *Quid res sit*, sunt quæsita Demonstratione probanda.
3. De *Dignitate* (quæ semper est Major Propositio Demonstrationis) præcog-

noscendum est, *Quòd sit*, i. e. quòd sit vera; aliàs nullam dabit Scientiam Conclusionis. *Quid sit* verò, cum Incomplexis tantùm conveniat, de *Dignitate* præcognosci non potest.

III. Præmissæ debent esse *Causæ* Conclusionis, non solùm *Inferendi*, aut *Cognoscendi* (quod fit in quovis Syllogismo) sed etiam *Essendi*, quatenus Medium, quod est in Præmissis, est Causa Affectionis, quæ est in Conclusione. Causa, non *Interna* (quæ inepta est Demonstrationi, quà talis; quia Passio, cùm sit Accidens, nullam *Materiam* aut *Formam* habet) sed *Externa*, sc. *Efficiens* vel *Finis*. Quarum *Finis* adhibetur in iis, quæ fiunt ob aliud; ut in *Mediis* & *Instrumentis*; item in *Actionibus* & *Habitibus*, tam *Artibus* quàm *Prudentiis*. In reliquis, nempe in *Disciplinis Theoreticis*, adhibetur Causa *Efficiens*; quæ est *Remota* vel *Proxima*.

Causa Efficiens *Remota* est, quæ effectum mediante alio Effectu producit. Estq; vel *Reciproca*, quâ positâ ponitur Effectus, & sublatâ tollitur; ut, *Anima corpori unita* est causa *Nutritionis*, mediante Facultate Nutritivâ: Vel *Non Reciproca*; ut, *Anima humana corpori unita* est causa *deambulationis*, mediante Facultate Locomotivâ.

Causa Efficiens *Proxima* est, quæ Effectum nul-

nullo mediante alio producit: ut, *Facultas Locomotiva* deambulationem. Estque vel *Intrinseca*, quæ Subjecto Effectûs inest; ut, *Rationalitas* est causa *Risibilitatis*, & Homini inest; (atque hæc Causa aliquando est *Forma*, aliquando *Materia* Subjecti; Demonstrationem verò ingreditur solùm ut est *Efficiens* Passionis:) vel est *Extrinseca*, quæ Subjecto Effectûs non inest: ut, *Interpositio terræ* est causa *Eclipsis* Lunæ. Itaque,

Demonstratio τῦ ΔΙΟΤΙ *est*, in qua Effectus vel passio probatur inesse aut non inesse Subjecto, per *Causam* ejus Proximam Efficientem aut *Finalem*. (Dicitur Demonstratio à *Priori*; Cujus Fundamentum sunt hæc

AXIOMATA.

Positâ Causâ *Proximâ ponitur* Effectus; *& Sublatâ tollitur.* Item,

Qui vult Finem, *vult* Media *ad Finem.*) ut,

1. Per Causam Efficientem Intrinf. ut,
O. rationale est capax disciplinæ
O. homo est rationalis. Ergo,
O. homo est capax disciplinæ.

2. Per Causam Efficientem Extrinf. ut,
O. quantum est in loco.
O. corpus est quantum. Ergo,
O. Corpus est in loco.

3. Per Causam Finalem: ut,

Quod fælicitati maximè conducit, est amplectendum.

Pietas fælicitati maximè conducit. go,

Pietas est amplectenda.

Ex his, Demonstratio illa, in qua Medius Terminus ita est causa *Intrinseca* Passionis, ut sit *Forma* Subjecti (vel *Essentialis ejus Definitio*) dicitur POTISSIMA; quia omnes *Necessitatis* & *Immedietatis* gradus in ea perfectè reperiuntur: adeo ut omnes Propositiones sint *De Omni*, *Per se*, & *Quatenus ipsum*; atque Præmissæ utroque modo *Immediatæ*, & Conclusio etiam Immedietate *Subjecti*, sed non *Causæ*, quia demonstranda est per Medium seu Causam. Unde semper est in BArbArA: ut,

BAr- *O. rationale est risibile,*

bA- *O. homo est rationalis.* Ergo,

rA. *O. homo est risibilis.*

Demonstratio τȣ̃ ὅτι est, in qua Prædicatum Conclusionis probatur inesse vel non inesse Subjecto per *Effectum* suum *proximum* aut *Causam Remotam*. Itaq; est duplex.

1. Cùm *Causa* demonstratur inesse vel non inesse Subjecto per Effectum suum proximum. (Vocatur Demonstratio ab *Effectu*, aut *Signo*, vel etiam *à Posteriori*; & indifferenter esse potest *Affirmativa* vel *Negativa*, quia Effectus proximus

&

& Causa reciprocantur, adeo ut *Posito* Effectu *ponitur* Causa, *& sublato tollitur.*) ut,

Affir. { *Quod per alimentum intùs sumptum nutritur, vivit.*
Plantæ per alimentum intùs sumptum nutriuntur. Ergo,
Plantæ vivunt.

Neg. { *Quod per alimentum intus sumptum non nutritur, non vivit.*
Lapides per alimentum intus sumptum non nutriuntur. Ego,
Lapides non vivunt.

2. Cùm *Effectus* demonstratur inesse aut non inesse Subjecto per Causam *Remotam.* Dicitur Demonstratio *à Causâ Remotâ*; estq; ferè *Negativa* Fig. 2. in CAMEStrES; quia *Sublatâ* Causâ *Remotâ tollitur* Effectus: *at eâ positâ non necessariò ponitur*; (nisi sit Causa *Reciproca*, tuncque fieri potest Demonstratio Affirmativa) ut,

CAM- *O. quod respirat, est animal.*
ES- *N. planta est animal.* Ergo,
trES. *N. planta respirat.*

Præterea Demonstratio dividitur, non tantùm in *Affirmativam* & *Negativam*; sed etiam in *Universalem* & *Particularem*; item in *Ostensivam* & *Ducentem ad Impossibile.*

Demonstratio *Universalis* est, in qua Affectio demonstratur inesse Subjecto suo primo

primo & immediato; adeoque universim de eo dicitur: ut,

O. quod habet in se principium motûs, est mobile.

O. corpus naturale habet in se principium motûs, Ergo,

O corpus naturale est mobile.

Demonstratio *Particularis* est, in qua Affectio demonstratur inesse Subjecto non primo & immediato, sed ejus parti (ut *Speciei*, si Subjectum ejus primum est *Genus*, &c.) unde de eo dicitur in parte: ut,

O. quod habet in se principium motûs, est mobile.

O. animal habet in se principium motûs Ergo,

O. animal est mobile.

Hic Syllogismus est quidem universalis prioristicè; *at non* posterioristicè, *sed est* Demonstratio Particularis; *quia Affectio, sc.* Mobilitas, *non competit* Animali, *ut primo Subjecto (non enim animal, qua Animal, sed quà Corpus, movetur;) adeoq; nec de universo primo Subjecto, sed tantùm de parte ejus demonstratur.*

Harum Demonstrationum Universalis Particulari, & Affirmativa Negativâ *nobilior est, cæteris paribus. At quævis* Demonstratio τῦ διότι, *licet Particularis aut Negativa, quâvis* τῦ ὅτι, *etsi Universali aut Affirmativâ, simpliciter prior est & nobilior.* De-

Demonstratio *Ostensiva* est, quæ *directè* probat prædicatum inesse aut non inesse Subjecto. *De qua hactenus.*

Demonstratio *Ducens ad Absurdum* seu *Impossibile* est, quæ *indirectè* probat prædicatum inesse aut non inesse Subjecto, quia sc. aliàs *Absurdum* aliquod aut *Impossibile* sequetur: ut, Euclid. Elem. l. 3. prop. 6. *demonstrat duos Circulos* ADC. ADB. *interiùs se tangentes in* D. *non habere idem Centrum* A. *quia aliàs* (*cùm* AB=AD=AC. *per Def. Circul.*) *Pars* AB *esset æqualis Toti* AC. Quod est Absurdum.



Hæc est Demonstrationum Imperfectissima; *utilis tamen, & ad quasdam res demonstrandas omnino necessaria; quoniam aliter non possunt (aut saltem non tam commodè possunt) demonstrari: ut in rebus* Mathematicis *patet.*

De Demonstrationis POTENTIIS seu *Affectionibus.*

Demonstrationum ritè formatarum tres sunt POTENTIÆ seu *Affectiones*, sc. *Analysis*, *Regressus* & *Conversio in Definitionem.*

1. *Analysis* est resolutio effectûs in Causas suas primas (*Efficientes aut Finales*) ad pariendum perfectam ejus Scientiam.

Cùm

Cùm enim sit quædam series & Subordinatio *Causarum* & *Effectuum*; si posterior Effectus per priorem, tanquam per Causam, demonstretur, mens in eo non acquiescet; sed Causam ejus inquiret, atque ulteriùs hujus Causam, & sic deinceps, donec tandem ad Primam (quæ, si sit Intrinseca est *Forma Subjecti*) perveniatur; in quâ solâ, quia non datur prior, mens tandem quietatur. Sic demonstramus, *Omne vivens augeri*, quia *nutritur*; *nutriri*, quia habet *Facultatem Nutritivam*; habere *Facultatem Nutritivam*, quia habet *Animam*. Hîc autem sistitur, quia *Anima* est *prima Causa Facultatum*.

Consimili modo fit *Analysis* in Causis *Finalibus* & *Mediis*, donec ad ultimum Finem, in quo solo sistendum est, perveniatur: ut, *Res adversas forti animo fert aliquis*, ut *Fortiter agat*; *Fortiter agit*, ut *Virtutem colat*; *Virtutem colit*, ut *Fælicitate fruatur*; in qua Mens quietatur, & sistitur *Analysis*.

2. *Regressus* est reciproca Demonstratio Effectûs per Causam, quæ per ipsum priùs demonstrabatur. Nam postquam *Progrediendo* per Effectum *confusè* cognitum demonstravimus de Causa, *Quòd sit*; Intellectus de eâ variè discurrens (*ex Sensu*, *Simili*, *Contrario*, *Concomitante*, &c.) tandem *perfe-*

ctam

ctam ejus Cognitionem acquirit (per quam scit illam ejus *Causam esse*; cùm antea poterat tantùm novisse, quòd sit ei *necessariò connexum*. Nam *multa sunt necessariò connexa, quorum neutrum est Causa alterius: ut*, Calor & Lux *in igne, &c.*) quâ Cognitione habitâ, iterum *Regredimur* per eandem Causam, jam *distinctè* cognitam, ad demonstrandum de Effectu, *Propter quid sit*; quod fit *convertendo* Majorem, ac Minorem & Conclusionem *transponendo*: ut,

Progressus.

Stellæ, quæ non scintillant, sunt propè.
Planetæ non scintillant. Ergo,
Planetæ sunt propè.

Regressus.

Stellæ, quæ sunt propè, non scintillant.
Planetæ sunt propè. Ergo,
Planetæ non scintillant.

Itaque *Progressus* fit per Demonstrationem τῦ ὅτι, quæ Confusam Cognitionem *Causæ per Effectum* parit: *Regressus* verò per Demonstrationem τῦ διότι, quæ distinctam Cognitionem *Effectûs per Causam* producit. In quo *Regressus* differt à *Circulo*, cujus utraque Demonstratio reciproca debet esse *Propter quid*; qui, ut *Impossibilis*, meritò rejicitur ab *Arist.* (*V. Schema Regressûs.*) Nam hoc posito, idem esset *prius* & *posterius*, *notius* & *ignotius* eodem, respectu ejusdem; imo

Anal. post. l. 1. c, 4.

imo *seipso*. Esset enim *Causa suæ Causæ*, & tamen *Effectus sui Effecti*; quia utraque Demonstratio esset *à Priori*.

Regressus maximum habet usum in *Physicâ*, in quâ ex *sensibilibus Effectis* eruimus aliqualem Cognitionem *Causæ* ignotæ: unde iterum *Regredimur* ad distinctam & Scientificam *Effectûs* cognitionem.

3. *Conversio Demonstrationis in Definitionem* est, quâ ex Terminis Demonstrationis transpositis fit Accidentis Proprii Definitio; quæ est *Partialis* vel *Totalis*.

Definitio *Partialis* vel solo genere & Subjecto constat: ut, *Eclipsis est defectus luminis in Lunâ*. Vel solâ Causâ: ut, *Eclipsis est interpositio terræ*. Prior dicitur *Nominalis* (ut *Causali*, non ut *Reali* opponitur;) posterior *Causalis*.

Definitio *Totalis* est, quæ ex Genere, Subjecto & Causâ proximâ constat; adeoque *Nominalem* & *Causalem* complectitur: ut, *Eclipsis est defectus luminis in Lunâ ob interpositionem Terræ*.

Harum Definitionum, *Nominalis* est Conclusio (solùm loco Nominis Genus ejus ponatur;) *Causalis* est Medium Demonstrationis; & *Totalis* est integra Demonstratio, solo Terminorum situ ab ea differens. Definitum enim est *Majus Extremum*, Subjectum *Minus*, & Causa *Medium*: ut,

Inter

Inter quod & Solem terra interponitur, illud Eclipsin patitur (deficit lumine.)
Sed inter Lunam & Solem Terra interponitur. Ergo,
Luna Eclipsin patitur (deficit lumine.)

Atque hæc de *Demonstratione.*

De SYLLOGISMO DIALECTICO seu TOPICO.

ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΟΣ συλλογισμὸς ἐστιν, ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος. DIALECTICUS seu TOPICUS Syllogismus est, qui ex probabilibus concludit, i. e. cujus Præmissæ sunt tantùm probabiles: ut, *Arist. Top. l. 1. c. 1. §. 5.*

Omnis Mater diligit Filium.
Hæc est Mater. Ergo,
Hæc diligit Filium.

Ἔνδοξα δ' ἐστιν, τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις καὶ ἐνδόξοις. *Ibid. §. 7.*

PROBABILIA sunt, quæ videntur omnibus aut plerisque aut sapientibus; atq; his, vel omnibus, vel plerisque, vel celeberrimis. Hæc ex *Locis* eruenda sunt.

LOCUS est sedes Argumenti. Estque *Maxima* vel *Differentia Maximæ.*

MAXIMA (seu AXIOMA) est Propositio generalis per se nota, fidem aliis subministrans: ut, *Cui Definitio, ei Definitum convenit.*

DIF-

DIFFERENTIA MAXIMÆ est Locus continens plures *Maximas*: ut, Locus à *Definitione*, *Genere*, &c.

In his sæpissimè agitur de *Argumentatione Materiali*. Atque ab illis argumentamur 2. Modis, sc. *Affirmativè*, cùm Antecedens est Affirmativum; & *Negativè*, cùm est Negativum; & utroque modo tripliciter,

1. Ex parte *Subjecti*, cum Terminus *Inferens* est Subjectum: ut,
   Omnis homo est risibilis. Ergo,
   Petrus est risibilis.
2. Ex parte *Prædicati*, cùm Terminus *Inferens* est prædicatum: ut,
   Planta non est animal. Ergo,
   Planta non est brutum.
3. Ex parte *utrinsque*, cùm & Subjectum & Prædicatum est Terminus *Inferens*; quod fit, quoties sunt 4 Termini, 2 *Inferentes* & 2 *Illati*, nullus *Communis*; ut,
   Sobrietas est laudanda. Ergo,
   Ebrietas est vituperanda.

Unde oriuntur *Sex Modi* argumentandi.

Locus Dialecticus, qui dicitur *Differentia Maximæ*, est triplex sc. *Internus*, *Exter-* & *Medius*.

De LOCIS INTERNIS.

Locus *Internus* est, unde petuntur Argumenta,

menta, quorum Terminus Inferens est *Intrinsecus* Illato. Horum

I. Primus Locus est à DEFINITIONE & DEFINITO; à quibus argumentamur omnibus sex Modis, juxta hæc

3. AXIOMATA.

1. Quicquid de *Definitione*, etiam de *Definito* affirmatur aut negatur; & contra: ut,
   Animal rationale est risibile. Ergo,
   Homo est risibilis. Et contra.
2. De quocunque *Definitio*, etiam *Definitum* affirmatur aut negatur; & contra: ut,
   Homo est substantia materialis. Ergo,
   Homo est corpus. Et contra.
3. Si *Definitio* de Definitione, etiam *Definitum* de Definito affirmatur aut negatur; & contra: ut,
   Animal rationale est substantia corporea. g°.
   Homo est corpus. Et contra.

Nota, quòd non valent AXIOMATA de Definitione *formaliter* sumptâ, seu *quatenus est Definitio.*

Huc revocatur Locus a DIFFERENTIA & PROPRIETATE *Specificis*, cæterisq; omnibus CONVERTIBILIBUS; & ab ETIMOLGOIA: (licet hic ultimus non tam frequens sit; quia plerumque *Etymologia* non est Convertibilis, ut cætera;) quibus eadem AXIOMATA, mutato nomine, possunt accomodari.

II. Sc-

II. Secundus Locus est à GENERE & SPECIE. Et argumentamur

Primò à Genere *Distributo* ad certam Speciē, (non contra) omnibus sex Modis, juxta hæc 3. AXIOMATA.

1. Quicquid de genere *Distributo*, etiam de qualibet ejus *specie* affirmatur aut negatur; non contra: ut,

Nulla planta est lapis. Ergo,
Nulla quercus est lapis.

2. De quocunque Genus *Distributum*, etiam quælibet ejus *Species* affirmatur aut negatur; non contra: ut,

Nulla planta est animal. Ergo,
Nulla planta est homo.

3. Si genus *Distributum* de Distributo etiam quælibet illius *Species* de qualibet hujus affirmatur aut negatur; non contra: ut,

Nulla planta est animal, Ergo,
Nulla quercus est homo.

Si tamen omnes Species enumerentur, licebit etiam à *Specie* ad *Genus Distributum* argumentari, juxta priora AXIOMATA; quia tunc erit *Inductio.*

Exempla hîc ponuntur Negativa, *quia etsi ex parte* Subjecti *Argumenta Affirmativa ab hoc loco sint frequentissima; ex parte tamen* Prædicati *sunt rariora (nisi ad unam* Speciem *indeterminatè) & ex parte utriusque rarissima.*

Huc pertinet Locus à DIFFERENTIA &

& SPECIE ad *Inferioria*. Item à TOTO in *Quantitate* (quod eſt vocabulum ſigno Univerſali affectum : ut, *Omne animal*) ad *Partem*. Et à TOTO in *Tempore*, quod ſignificat omne tempus; ut, *Semper*, *Nuſquam*, Nec non à TOTO in *Loco*, quod omnem locum denotatt : ut, *Ubique*, *Nullibi*, v. g.

1. { *Hæreſes ſemper fuerunt.* Ergo,
Hæreſes fuerunt tempore Chriſti.

2. { *Deus eſt ubique.* Ergo,
Deus eſt in terra.

Secundò à Genere *non Diſtributo* ad Speciem ſub diviſione tantùm, & contra; ſex itidem Modis, juxta priora AXIOMATA, mutato nomine:

Exemp. prius.

Animal eſt quadrupes. Ergo,
Homo vel brutum eſt quadrupes.

(ad certam autem ſpeciem non licet argumentari.)

Exemp. poſter.

1. { *Homo eſt rationalis.* Ergo,
Aliquod animal eſt rationale.

2. { *Johannes eſt homo.* Ergo,
Johannes eſt animal.

3. { *Aliquod corpus eſt album.* Ergo,
Aliqua ſubſtantia eſt colorata.

Huc revocatur Locus à DIFFERENTIA & INDIVIDUIS ad *Superiora*. Item à PARTE in *Quantitate*, *Tempore* & *Loco*; à quibus ad *Totum* non licet argumentari,

tari, nisi additâ Negatione Distributionem impediente: ut,

1. { *Brutum non est rationale.* Ergo, *Non omne animal est rationale.*

2. { *Lupi non sunt in Angliâ.* Ergo, *Lupi non sunt ubique.*

III. Tertius Locus est à TOTO & PARTIBUS.

Totum (prout hîc spectatur) est duplex; *Totum in Modo* & *Totum Integrale.* Nam de *Toto Universali* & *Essentiali Metaphysico*, in priori loco actum est; & de *Toto Essentiali Physico* in sequente, quantum sat est, agetur.

Totum in Modo est nomen commune non restrictum, quod ad idem restrictum comparatur; Et *Pars in Modo* est è contra; ut, *Homo* est Totum; *Homo doctus* est Pars.

A *Toto in Modo* & à *Parte* argumentamur, sicut à *Genere* & *Specie*, juxta eadem AXIOMATA, mutato nomine: ut,

1. { *Johannes non est Philosophus.* Ergo, *Johannes non est Philosophus eximius.*

2. { *Aristoteles est Philosophus eximius.* Ergo, *Aristoteles est Philosophus.*

At fallunt, cùm additur particula *Alienans* aut *Diminuens*: ut,

1. { *Cadaver est homo mortuus.* Ergo, *Cadaver est homo.*

2. { *Æthiops est albus dentes.* Ergo, *Æthiops est albus.*

Partes

Partes *Integrantes* sunt vel *Necessariæ.* i.e: sine quibus totum esse non potest; ut, *Fundamentum* in Domo; *Caput* in Homine: Vel *Non-necessariæ.* i.e. sine quibus Totum esse potest; ut, *Fenestra* in Domo; *Manus* in Homine.

Argumentamur à Toto *Integrali* ad Partes, & contra, juxta hæc

2. AXIOMATA.

1. Posito Toto *Integrali* ponuntur omnes Partes *Necessariæ*, & contra: ut,
   Est domus. Ergo, (& contra.
   Fundamentum, parietes & tectum sunt:
2. Ablato Toto *Integrali* aufertur aliqua Pars *Necessaria*; & contra: ut,
   Non est domus. Ergo, (& contra.
   Non est fundamentũ, vel parietes vel tectũ.

IV. Quartus Locus est à CAUSA & CAUSATO.

CAUSA est cujus vi res est. Et est quatruplex, *Materia*, *Forma*, *Efficiens & Finis.*

MATERIA est Causa, ex qua res est. Estque vel *Permanens*, quæ manet in effectu; ut, *Ferrum* in gladio: vel *Transiens*, quæ non manet; ut, *Farina* respectu panis.

Argumentamur à *Materia* ad Materiatum, & contra; juxta hæc

4. AXIOMATA.

1. Positâ *Materiâ* fieri potest *Materiatum* (sc. quantum est ex parte Materiæ;)

& contra : ut,

Ferrum est. Ergo,

Gladius fieri potest. Et contra.

2. Sublatâ Materiâ (*necessaria*) fieri non potest *Materiatum*; non contra; ut,

Non sunt ligna. Ergo,

Domus fieri non potest. Non contra.

3. Sublatâ Materiâ *Permanente*, tollitur *Materiatum*; non contra : ut,

Non sunt ligna. Ergo,

Non est domus. Non contra:

4. Si Materia *Transiens* non fuerit, non est *Materiatum*; non contra : ut,

Non fuit farina. Ergo,

Non est panis. Non contra.

FORMA est Causa, per quam res est; sive, *Causa Formalis* est Forma comparata ad compositum, quod constituit: ut, *Anima* ad Hominem; *Albedo* ad album, &c.

Argumentamur à *Forma* ad *Formatum*, & contra; juxta hæc

3. AXIOMATA.

1. Positâ *Forma* (& unitâ,) ponitur *Formatum*; & contra; ut,

Albedo est. Ergo,

Est album. Et contra.

2. Sublatâ (vel non unitâ) *Formâ*, tollitur *Formatum*; & contra : ut,

Albebo non est. Ergo,

Non est album. Et contra.

3. Cujus *Forma* præstantior, ipsum præstantius

ſtantius (*cæteris paribus*) & contra: ut,
Anima humana eſt præſtantior Forma cæli. g°,
Homo eſt præſtantior cælo. Et contra.

Huc pertinet Locus ab INESSE ad DENOMINARI, & contra; à quo argumentamur, cùm ex eo quòd *Forma* ſit vel non ſit in aliquo, *Concretum* ejus ſeu *Denominativum* de illo affirmari vel negari colligimus; & contra: ut,
Albedo eſt in pariete. Ergo,
Paries eſt albus. Et contra.

Fallit *prior* pars,

Primò, Cùm Forma non ineſt *ſufficienter*, i. e.

1. *Satis intenſè* ſeu perfectiûs quàm Forma oppoſita: ut,
Aquæ tepidæ ineſt calor. Ergo,
Aqua tepida eſt calida.

2. *Satis extenſè*, ſeu ultra mediam partem Subjecti capacis: ut,
Æthiopi ineſt albedo in dentibus. g°,
Æthiops eſt albus.

3. *Satis diu*: ut,
Homini timenti ineſt pallor. Ergo,
Homo timens eſt pallidus.

Secundò, cùm non ſumitur *Proprium Concretum* Formæ: ut,
Dormienti ineſt viſus. Ergo,
Dormiens videt. Nam ſi *videt* eſt Concretum *viſionis*, non *viſus*. Sed inferendum, Ergo,
Dormiens eſt viſivus.

Tertiò, cùm Concretum denominat *Extrinsecè* : ut,

Oculo inest visio. Ergo,
Oculus videtur.

Quartò, cùm modus *Denominandi* non respondet modo *Inexistendi*; ut si Forma inest *Essentialiter*, & Concretum denominat *Accidentaliter*; aut contra : ut,

1. { *In albedine est color*, Ergo,
Albedo est colarata.

2. { *In bursa est aurum.* Ergo,
Bursa est aurea. Nam *Aurum* est in Bursa *Extrinsecè*, non per modum partis : at Concretum *Aurea* denominat *Intrinsecè*, per modum partis; cùm significet id, *quod ex auro componitur.*

Fallit *posterior* pars in 2° & 3° casu : ut,

2° { *Dormiens non videt.* Ergo,
Dormienti non inest visus.

3° { *Paries videtur.* Ergo,
Parieti inest visio.

EFFICIENS est Causa, à qua aliquid fit: ut, *Artifex* respectu Domûs. Estque vel *Necessaria*, sine qua non potest esse Effectus; nec contra : ut, *Ortus solis* respectu diei. Vel *Sufficiens* tantùm, quæ sine effectu esse non potest; benè tamen Effectus sine illâ : ut, *Jugulatio* respectu mortis. (Non agitur hîc de *Causis Liberis*; sed tantùm de *Agentibus Naturalibus* seu *Necessariis*.)

Argumentamur ab *Efficiente* ad Effectum

ctum, & contra, juxta hæc

6. AXIOMATA.

1. Positâ Causâ *necessariâ*, ponitur Effectus; & contra: ut,
Sol ortus est. Ergo,
Est Dies. Et contra.

2. Sublatâ Causâ *necessariâ*, tollitur Effectus; & contra: ut,
Sol ortus non est. Ergo,
Non est dies. Et contra.

3. Positâ Causâ *sufficienti*, ponitur Effectus; non contra: ut,
Jugulatus est. Ergo,
Interiit. Non contra.

4. Sublatâ Causâ *sufficienti*, non tollitur Effectus; benè contra: ut non sequitur,
{ *Non est jugulatus.* Ergo,
{ *Non interiit.* Benè tamen
{ *Non interiit.* Ergo,
{ *Non est jugulatus.* Item,

5. Cujus Causa *Efficiens* bona, ipsum bonum; cujus mala, malum. Sive, Qualis *Causa*, talis *Effectus*; & contra.

6. Cujus Causa *Interimens* bona, ipsum malum; cujus mala, bonum. *Horum Exempla facilè occurrent.*

Huc revocatur Locus à POTENTIA ad ACTUM; & contra; à quo argumentamur juxta hæc

3. AXIOMATA.

1. De quocunque *Potentia*, de eodem & *Actus* negatur; non contra. Sive,

A Potentia ad Actum *negativè* valet Consequentia; non contra: ut,

Christus nunquam potuit peccare. Ergo,
Christus nunquā peccavit. Non contra.

2. De quocunque *Actus*, de eodem & *Potentia* affirmatur; non contra; sive, Ab Actu ad Potentiam *affirmativè* valet Consequentia; non contra: ut,

Deus quosdā mortuos ad vitam revocavit. g°
Deus potest mortuos ad vitam revocare.
Non contra.

3. Frustra est *Potentia*, quæ non reducitur in *Actum* (sc. vel *in se*, vel *in simili.* i. e. vel in Individuo, vel in Specie) ut,

Papistæ nunquam fecerunt Miracula. g°,
Papistæ non possunt facere Miracula.

FINIS est Causa, cujus gratia aliquid fit.

Medium est quod ad illud assequendum ordinatur.

Argumentamur à *Fine* ad *Media*, juxta hæc 5. AXIOMATA.

1. Cujus *Finis* bonus, ipsum bonum; cujus malus, malum: ut,

1. { *Scientia est bona.* Ergo,
Studium est bonum.

2. { *Occidere est malum.* Ergo,
Insidias struere est malum.

2. Si *Finis* est possibilis, media sunt possibilia; & contra: ut,

Potes esse probus. Ergo,
Potes bene agere. Et contra.

3. Positâ *Intentione* Finis eligenda sunt Media: ut,

Vis

Vis esse probus. Ergo,
Tibi studendum est. Nam

4. Qui vult *Finem*, vult *Media*; &, Qui non vult *Media*, non vult *Finem*.
5. Obtento *Fine* cessant *Media* (nisi iisdem sit conservandus:) ut,

Est Pax. Ergo,
Non est pugnandum.

At non sequitur,

Hic est doctus. Ergo,
Non est ampliùs studendum. Quia doctrina studio conservatur.

Ex his formari possunt AXIOMATA *Comparata.*

Cujus Finis *melior*, ipsum melius; Cujus *pejor*, pejus; Cujus *optimus*, optimum; Cujus *pessimus*, pessimum.

Ad Locum à CAUSA revocatur,

Primò, Locus ab APPOSITIONE sive *Adjunctione*; à qua argumentamur, cùm aliquam Denominationem de aliquo colligimus, ex eo quòd ipsam alteri tribuit; juxta hæc

2. AXIOMATA.

1. Propter quod unumquodque est *tale*, etiam illud est *tale*. Sive,
   Qualis *Effectus*, talis est *Causa*; & contra.
2. Propter quod unumquodque est *tale*, & illud magis (est *tale*:) ut,

Ignis calefacit aquam. Ergo,
Ignis est calidus. Vel, Ergo,

Ignis est magis calidus, quam aqua.

Fallunt

1. In Causis *Intrinsecis* : ut,
   Johannes est homo propter animam. g°,
   Anima est homo ; vel *magis homo.*
2. In Causis per *Accidens* & *Æquivocis.* i.e. diversæ speciei ab effectu : ut,
   1. { *Aliquis est ebrius propter vinum.* g°, *Vinum est ebrium*; vel, *magis ebrium.* }
   2. { *Muscæ vivunt propter solem.* Ergo, *Sol vivit* ; vel, *magis vivit.* }
3. In Causis non *Sufficientibus* per se : ut,
   Discipulus est doctus propter præceptorē. g°,
   Præceptor est magis doctus.
4. In iis, quæ non admittunt *Magis* & *Minus* : ut,
   Lumen existit propter solem. Ergo,
   Sol magis existit.

Secundò, Locus à GENERATIONE, CORRUPTIONE & USU ; à quibus argumentamur juxta hæc

3. AXIOMATA.

1. Cujus *Generatio* per se bona, ipsum bonum ; cujus mala, malum : ut,
   Nativitas Christi est bona. Ergo,
   Christus est bonus, &c.
2. Cujus *Corruptio* per se bona, ipsum malum ; cujus mala, bonum : ut,
   1 { *Mors furum est bona.* Ergo, *Fures sunt mali.* }
   2 { *Mors Patris Filio nocet.* Ergo, *Pater proderat Filio.* }

3. Cu-

3. Cujus *Usus* per se bonus, ipsum bonum; cujus malus, malum: ut,

1. { *Impugnare hæresin est bonum.* Ergo,
{ *Scientia est bona.* (*malum*, g°,

2. { *Commercium habere cum Dæmone est*
{ *Magia est mala.*

Additur *per se*, quia si bona vel mala sint tantùm *per Accidens*, non valebunt AXIOMATA: ut, non sequitur,

Mors Christi est nobis bona. Ergo.
Christus est malus. Sic si sumatur

Abusus pro *Usu*: ut,

Inebriari est malum. Ergo,
Vinum est malum.

V. Quintus Locus est ab ANTECEDENTE & CONSEQUENTE; quæ sunt duplicia, *Illatione* & *Tempore*:

1. *Antecedens Illatione* est id, quod alterum infert: ut, *Homo* respectu Animalis. *Consequens*, quod ab altero infertur: ut, *Animal* respectu Hominis.

A quibus argumentamur juxta hoc

AXIOMA:

Posito *Antecedente* ponitur *Consequens*; &, Ex opposito *Consequentis* sequitur oppositum *Antecedentis*; non contra: *juxta duos Modos Syllogismi* Conditionalis.

2. *Antecedens Tempore* est id, quod alterum tempore præcedere debet: ut, *Flores* respectu Fructuum. *Consequens* id, quod sequitur: ut, *Fructus* respectu florũ.

A quibus argumentamur juxta hoc

AXIO-

AXIOMA.

Posito *Consequente* ponitur *Antecedens*; &, Ex opposito *Antecedentis* sequitur oppositum *Consequentis*; non contra: ut,

1. { *Sunt fructus.* Ergo, *Fuerunt flores.* Non contra.

2. { *Non sunt flores.* Ergo, *Non erunt fructus*, Non contra.

Ratio est, quia Antecedens *Tempore* est Consequens *Illatione*.

VI. Sextus Locus est à COMMUNITER ACCIDENTIBUS.

Communiter Accidentia sunt, quæ rem ordinariè circumstant; suntq; vel *Antecedentia*, vel *Consequentia*, vel *Concomitantia*; à quibus argumentamur juxta hoc AXIOMA.

Posito uno *Communiter Accidentium* verisimile est poni & alterum (sc. *ordine* & *tempore*, quo illi conjungi solet:) ut,

1. { *Hic est bonis moribus præditus.* g°, *Est benè educatus.*

2. { *Sunt encœnia.* Ergo, *Erunt rixæ.*

3. { *Ille expallescit.* Ergo, *Est malè sibi conscius*,

Sic de Locis *Internis*.

De LOCIS EXTERNIS.

Locus *Externus* est, à quo sumuntur Argumenta, quorum Terminus Inferens est

est *Extrinsecus* Illato. Horum

I. Primus Locus est ab *Authoritate* seu TESTIMONIO; qui dicitur Locus *Inartificialis*, quia præbet Argumenta sine ope Artis inde eruenda; & ob contrariam rationem reliqui omnes vocantur *Artificiales*.

Testimonium est duplex, *Divinum* & *Humanum*. Ab utroque argumentamur *Affirmativè*: & à *Divino* etiam *Negativè*, in rebus ad salutem necessariis. Sed à Testimonio Divino *Infallibile*, non *Dialecticum* ducitur Argumentum. Itaq; A Testimonio *Humano* argumentamur juxta hæc

2. AXIOMATA.

1. Unicuique *Experto* in sua arte credendum est: ut,

   Aristoteles dicit terram quiescere. Ergo, *Terra quiescit.*

2. Ab Authoritate *negatâ* non valet Argumentum: ut,

   Aristoteles hoc non dicit. Ergo, *Hoc ita non est.*

II. Secundus Locus est à SIMILI & PARI.

Similia sunt, quæ alicujus attributi similem habent Causam; *Paria*, quæ parem: ut, *Ratio* habet similem Causam ad imperandum appetitui, ac *Domina* ancillæ, sc. quia est superior: ideo *Ratio* & *Domina* in hoc sunt *Similia*. *Johannes* parem

rem habet rationem, cur sit mortalis, ac *Petrus*, sc. quia est Homo : idcirco *Johannes* & *Petrus* in hoc sunt *Paria*.

Ab his argumentamur juxta hoc

AXIOMA.

Parium & *Similium* par & similis ; ac *Imparium* & *Dissimilium* dispar & dissimilis est ratio : ut,

1. { *Johannes est mortalis.* Ergo, { *Petrus est mortalis.* (go,

2. { *Domina debet imperare ancillæ.* { *Ratio debet imperare appetitui.*

Sed Locus à *Dissimili* raro est in usu.

III. Tertius Locus est à COMPARATIONE.

1. A Comparativo ad Positivum argumentamur *Affirmativè* ; à Positivo ad Comparativum *Negativè* ; non contra : ut,

1. { *Est melior.* Ergo, { *Est bonus.* Non contra.

2. { *Non est bonus.* Ergo, { *Non est melior.* Non contra: *cùm est ex parte prædicati.*

Fallunt, cùm Comparativus sumitur impropriè (pro opposito sumpto cùm adverbio *Minùs* ; ut *melius* pro *minùs malo* :) ut,

Iste prædo est melior illo. Ergo,
Iste prædo est bonus.

2. A duobus *Positivis* ad duo *Comparativa* argumentamur ; & contra : ut,

Docti

Docti sunt honorandi. Ergo,
Doctiores sunt magis honorandi.

Huc revocatur Locus à MAJORE & MINORE.

Majus hîc est, quod est magis verisimile; & *Minus*, quod est minus: à quibus argumentamur ex parte subjecti, prædicati vel utriusque; *Negativè* quidem à Majore ad Minus, & *Affirmativè* à Minore ad Majus; non contra; juxta hoc

AXIOMA.

Si quod *magis* videtur tale, non sit, nec quod *minùs*: &, Si quod *minùs* videtur tale, sit, etiam quod *magis*; non contra: ut,

1. *Rex non potuit arcem expugnare.* Ergo,
Dux non poterit arcem expugnare.
Puer potest illud pondus ferre. Ergo,
Vir robustus potest illud pondus ferre.

Non contra: *Rex potest.* Ergo, *& Dux.* *Puer non potest.* Ergo, *Nec vir robustus.*

2. *Non potes pati verbum injuriosum.* g°,
Non potes pati mortem.

3. *Aristoteles non potuit unam rem perfectè comprehendere.* Ergo,
Nos non possumus comprehendere omnia.

IV. Quartus Locus est à REPUGNANTIBUS: à quibus argumentamur,

Primò in *Genere*, juxta hoc

AXIOMA.

De quocunque affirmatur unum *Repugnantium*,

nantium, de eodem negatur alterum: ut,

Æthiops est niger. Ergo,
Æthiops non est albus.

Secundò, in *Specie*,

A *Disparatis* quidem, juxta præcedens AXIOMA;

Ab *Oppositis* verò argumentamur,

1. *Generaliter*, juxta hoc AXIOMA.

Oppositorum opposita sunt Consequentia.

Valet 1° In Relatis: ut,

Præceptoris est docere. Ergo,
Discipuli est discere.

2° In contrariis: ut,

Omnis virtus est laudanda, Ergo,
Omne vitium est vituperandum.

At fallit, cum Propositio est vera *per Accidens*: ut,

Album est dulce. Ergo,
Nigrum est amarum.

In aliis Oppositis (maximè *Contradictoriis*) non utimur Consequentia ejusdem ordinis, sed inversi: ut,

Omnis homo est animal. Ergo,
Omne non animal est non homo.

Sed hoc refertur ad Locum 5 præcedentem, sc. *Ab Opposito Consequentis ad oppositum Antecedentis*; quia Prædicatum universalis Affirmativæ semper est *Consequens* Subjecti.

2. *Specialiter*;

A *Relativis* sic; *Relativa* se mutuò ponunt & tollunt: ut,

1.

1. { *Est Praeceptor.* Ergo,
{ *Est Discipulus.* Et contra.

2. { *Non est praeceptor.* Ergo,
{ *Non est Discipulus.* Et contra.

A *Contrariis*, juxta hæc 2. AXIOMATA.

1. Cui convenit unum *Contrariorum*, potest & alterum convenire (nisi insit naturâ :) ut, *Arist. Cat. c. 8. §. 28.*

Hic ægrotat. Ergo,
Potest esse sanus.

2. De quo negatur unum *Contrariorum*, affirmabitur alterum (intellige *Contraria immediata*, & *de Subjecto capaci* :) ut, *Johannes non ægrotat.* Ergo,
Johannes est sanus.

A *Privatis* argumentamur; A negatione unius de Subjecto *capaci* ad Affirmationem alterius : ut,

Hic homo non est cæcus. Ergo,
Hic homo est visivus.

A *Contradictoriis* argumentamur; A Negatione unius de quocunque Subjecto ad Affirmationem alterius; juxta hoc

AXIOMA.

De quolibet Affirmatio vel Negatio est vera : ut,

Vitium non est amplectendum. Ergo,
Vitium est non amplectendum.

Vid. Part. 2. *De Prop. Infinit. Æquipollentia.*

De

De LOCIS MEDIIS.

Locus *Medius* est, ex quo sumuntur Argumenta, quorum Terminus Inferens non est omnino vel *Intrinsecus*, vel *Extrinsecus Illato*. Horum

I. Primus Locus est à CONJUGATIS & CASIBUS.

Conjugata sunt plura, quorum unum ab altero derivatur, (sc. Abstractum & Concretum:) ut, *Justus* & *Justitia*.

Casus sunt plura, quæ ab eodem derivantur; (sc. Concreta, & Denominativa ejusdem Formæ:) ut, *Justus* & *Justè*.

Ab his argumentamur,

1. Ex parte unius Extremi, tribuendo aliquid denotans bonum vel malum, juxta hoc

AXIOMA.

Cum quo unum *Conjugatorum* vel *Casuum*, & reliqua cohærent; & contra; ut, *Sobrietas est laudanda*. Ergo, *Sobrius est laudandus*.

2. Ex parte utriusque à duobus Abstractis ad duo Concreta: ut,

1. { *Albedo est color*. Ergo,
Album est coloratum. Et contra.

2. { *Justum est bonum*. Ergo,
Q[d] *justè fit, benè fit*. Et contra.

Fallit,

1. Cùm non sunt Conjugata quoad signifi-

significationem : ut,

Turpitudo est forma. Ergo,

Turpis est formosus.

2, Cùm prædicantur per *Accidens :* ut,

Album est dulce. Ergo,

Albedo est dulcedo.

II. Secundus Locus est à DIVISIONE ; à qua argumentamur juxta hæc

2 AXIOMATA.

1. Negatis omnibus *membris* dividentibus, negatur *Divisum*: ut,

Planta nec est homo nec brutum. Ergo,

Planta non est animal.

2. Affirmato *Diviso*, & negatis omnibus *Membris* dividentibus, excepto uno, concluditur quod reliquum est ; (intelligitur de Divisione *Totius universalis :*) ut,

Equus est animal, & non est homo. Ergo,

Est brutum.

Argumentum *ab affirmatione unius Membri ad negationem alterius* potiùs confirmari solet per Locum à *Repugnantibus.*

Atque hactenus de *Argumentatione Bona.*

Argumentio *Vitiosa* est, cujus Consequens non legitimè infertur ex Antecedente. Estque Syllogismus *Sophisticus* vel *Pseudographema.*

De Syllogismis Sophisticis seu FALLACIIS. *Arist. l. 1 Top. c. 1. §. 8.*

'ΕΡΙΣΤΙΚΟΣ Συλλογισμὸς ἐστιν, ὁ ἐκ φαινομένων ἐνδόξ-ων, μὴ ὄντων ἤτοι ὁ ἐξ ἐνδόξων δὲ, ἢ φαινομένων ἐνδόξ-

ὢν φαινόμενος. *Litigiosus* seu SOPHISTICUS Syllogismus est, qui ex iis, quæ videntur probabilia, non sunt autem; vel ex probabilibus, aut ex iis quæ videntur probabilia, est apparens, i. e. qui habet *Præmissas* tantùm apparenter probabiles, aut *Consequentiam*, aut *utrasque*. Atque peccat

Primus solâ *Materiâ*: ut,

Quicquid non caret oculis, habet oculos.
Lapis non caret oculis. Ergo,
Lapis habet oculos.

Secundus solâ *Formâ*: ut,

Omnis Mater diligit Filium.
Omnis Pater diligit Filium. Ergo,
Omnis Pater est Mater.

Tertius utrâque: ut,

Quicquid non perdidisti, habes.
Aurum non perdidisti. Ergo,
Aurum habes.

Ibid. *§. 9.* ΨΕΥΔΟΓΡΑΦΗΜΑ ἐστιν, ὁ ἐκ τῶν οἰκείων μὲν τῇ ἐπιστήμῃ λημμάτων, οὐκ ἀληθῶν δὲ, Συλλογισμός. PSEUDOGRAPHEMA est Syllogismus, qui fit ex propriis Disciplinæ sumptionibus non veris. i. e. ex principiis alicujus scientiæ malè intellectis: ut,

Omnes semicirculi sunt æquales.
Sed semicirculi majoris & minoris circuli sunt semicirculi Ergo, (*æquales.*
Semicirculi majoris & minoris circuli sunt

Major à Mathematicis *de semicirculis ejusdem Circuli, non etiam diversorum*, prout

ut hîc, accipitur.

Veteres *Sophistæ*, qui gloriam ex disputationibus aucupantes, id unum agebant, ut victoriam inde reportarent, quo illam faciliùs obtinerent, ad certa quædam in iis collimare solebant, quæ vulgò *Metæ Sophistarum* seu *Sophisticæ* dicuntur.

Meta Sophistica est scopus, ad quem Sophista fallaci argumento Respondentem deducere conatur. Estque quintuplex.

1. ΕΛΕΓΧΟΣ, REDARGUTIO. Meta *Redargutionis* est præconcessi negatio, vel prænegati concessio, in eadem disputatione: ut, si Respondens negaverit, *Dormientem videre*; & postea cogatur illud concedere, quia *Dormiens habet visum*. *Arist. de Soph. Elench. c.* 3.

2. ΨΕΥΔΟΣ. FALSUM. Meta *Falsi* est concessio manifestè falsi, vel negatio manifestè veri: ut, si Respondens cogatur admittere, *Hominem habere alas*, quia, *eas non amisit*.

3. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. PARADOXUM. Meta *Paradoxi* est concessio ejus, quod communi hominum circumstantium opinioni repugnat: ut, si apud imperitos cogatur admittere, *Solem esse majorem totâ terrâ*; vel apud peritos, *esse minorem*.

3. ΣΟΛΟΙΚΙΣΜΟΣ. SOLOECISMUS. Meta *Solœcismi* est incongrua locutio:

ut, Si cogatur admittere hanc locutionem, *omnis mulier est sensitivus*, propter hoc argumentum,

Omnis homo est sensitivus.
Omnis mulier est homo. Ergo,
Omnis mulier est sensitivus.

ΑΔΟΛΕΣΧΙΑ. NUGATIO. Meta *Nugationis* est ejusdem vocis inutilis repetitio: ut, Si cogatur dicere, *Aliquis nasus est nasus simus* (ubi *nasus* inutiliter repetitur) propter hoc argumentum;

Omnis simus est nasus simus.
Aliquis nasus est simus. Ergo,
Aliquis nasus est nasus simus.

Ad has *Metas* pervenire conabantur Sophistæ per Syllogismos captiosos, (*Sophisticos* hinc dictos,) qui & FALLACIÆ audiunt; ad quas duo concurrunt,

1. Causa *Apparentiæ*, quæ est id, ratione cujus valida videtur Argumentatio: ut, in Fallacia Æquivocationis, *Identitas vocis æquivocæ.*
2. Causa *Defectûs*, quæ est id, ratione cujus invalida est argumentatio: ut, in eadem Fallacia, *Diversa vocis significatio.*

Hæc vocatur *Causa non existentiæ.* Unde provenit, quòd in omni Fallacia sunt 4 *Termini.*

Fallacia est duplex, *In Dictione* & *Extra Dictionem.*

Fal-

Fallacia *in Dictione* est, quæ causam Apparentiæ habet in Dictione seu voce. Ibid.c.4.
Estque Sextuplex, sc.

Æquivocans. Amphi. Componit. Dividit. Acc. Fig.

I. ΟΜΩΝΥΜΙΑ. Fallacia ÆQUIVOCATIONIS est, cùm vox æquivoca æquivocè sumitur: ut,

Omnis canis latrat.
Sidus cæleste est canis. Ergo,
Sidus cæleste latrat. Mutatur significatio *Canis.*

II. ΑΜΦΙΒΟΛΙΑ. Fallacia AMPHIBOLIÆ est, cùm oratio in vario sensu accipitur: ut,

Qui arat litus, scindit terram.
Qui operam perdit, arat litus. Ergo,
Qui operam perdit, scindit terram. In vario sensu sumitur illa oratio *arat litus.*

III. ΣΥΝΘΕΣΙΣ. Fallacia COMPOSITIONIS est, cùm Propositio in sensu *Diviso* vera, in *Composito* (quo falsa est) accipitur: ut,

Possibile est omnem parietem esse album.
Sed aliquis paries est niger. Ergo,
Possibile est aliquod nigrum esse album.

IV. ΔΙΑΙΡΕΣΙΣ. Fallacia DIVISIONIS est, cum Propositio in sensu *Composito* vera, in *Diviso* (quo falsa est) accipitur: ut,

Impossibile est album est nigrum.
Hic paries est albus. Ergo,
Impossibile est hunc parietem esse nigrum.

Syllogismi prioris Conclusio in sensu *Com-*

posito; posterioris *Major* in sensu *Diviso* (in quibus sumuntur) falsæ sunt (& *Fallacias* pariunt;) aliàs veræ.

Notetur enim quasdam Propositiones (præcipuè quæ constant Terminis *Connotativis*) duplicem habere sensum, *Compositum* & *Divisum*.

Sensus *Compositus* est, cùm significatum Formale Prædicati applicatur significato formali Subjecti. Sensus *Divisus* est, cùm applicatur tantùm materiali: ut hujus Propositionis, *Possibile est album esse nigrum*, sensus Compositus est, *Possibile est album, manens album, esse nigrum*: Divisus, *Possibile est id, quod est album (non tamen manens album) esse nigrum.*

V. ΠΡΟΣΩΔΙΑ. Fallacia ACCENTUS est, cùm Accentus vocis mutatur. (Sub *Accentu* comprehenditur scribendi, pronunciandique modus quoad *Literas*, *Compositionem*, *Quantitatem*, *Spiritum*, *Gestum*, *Tonum*,) &c. ut,

Qui lepores venatur, canibus indiget.
Poeta lepores venatur. Ergo,
Poeta canibus indiget.

Mutatur Accentus vocis *Lepores*.

VI. ΣΧΗΜΑ ΛΕΞΕΩΣ. Fallacia FIGURÆ DICTIONIS est, cùm propter similitudinem vocum id uni attribuitur, quod alteri tantùm convenit. Fitque

Vel secundùm proprietatem *Grammaticæ*: ut,

Pons est masculini generis. Ergo,
Fons est masculini generis.

Vel secundùm proprietatem *Dialecticæ*; Idq;

1. Explicitè: ut,
Coloratū est prædicamenti Qualitatis. g°,
Lineatum est prædicamenti Qualitatis.

2. Implicitè, cùm sub signo Substantiam denotante subsumitur Quantitas vel Qualitas, aut contra; (substantiam significant, *Quicquid, Omne, Quodcunq;* &c, Quantitatem, *Quantus, Quantuscunque,* &c. Qualitatem, *Qualis, Qualiscunq;*) &c. ut,

Quicquid heri emisti, comedisti.
1. *Carnem crudam heri emisti.* Ergo,
Carnem crudam comedisti,

Hîc Substantiæ, per *quicquid* significatæ, subsumitur Qualitas, sc. *Cruditas,*

Quod ego sum, tu non es.
2. *Sed ego sum homo.* Ergo,
Tu non es homo. Ubi *Quod* in Majore refert *Individuum*, & in Minore, ejus loco, subsumitur *Species.*

Fallacia *Extra Dictionem* est, quæ Causam Apparentiæ habet in rebus per vocem significatis. Estq; septuplex, sc. *Acci. Quid. Ignorans. Non Causa. Con. Petit. Inter.* *Ibid.c.5.*

I. Παρὰ τὸ ΣΥΜΒΕΒΗΚΟΣ. Fallacia ACCIDENTIS est, cùm malè infertur aliquid rei convenire ex eo, quòd conve-

niat ejus Accidenti. *Accidens* hîc dicitur, quicquid aliquo modo distinctum ab altero, de eo prædicari potest, sive essentialiter sive accidentaliter: ut, *Animal, risibile, album* &c. respectu Hominis.

Cùm verò, quicquid de altero prædicatur, est etiam aliquo modo idem cum illo; ex hac aliquali identitate & diversitate Accidentis cum Subjecto oritur hæc *Fallacia*: ut hîc,

Animal est quadrupes. Ergo,
Homo est quadrupes.

Ratio est, quia *Accidens* non sumitur quatenus idem cum re, cujus est Accidens; sed ut diversum ab illa: ut, *Animal* pro *Bruto*, quod est diversum ab *Homine*.

Huc pertinent omnia Argumenta à *non Distributo ad Distributum*; *à Genere non distributo ad certam speciem* procedentia; & *Syllogismi vitiosi*, modo in reipsa, non in solà voce, habeant Apparentiam, &c. Solvuntur distinguendo id, quod *per se*, ab eo quod *per Accidens* convenit.

II. Παρὰ τὸ ΠΗ ἢ ΑΠΛΩΣ λεγόμενον. Fallacia DICTI SECUNDUM QUID & SIMPLICITER est, cum proceditur à Dicto *secundùm quid* ad Dictum *Simpliciter*; aut contra: ut,

Æthiops est albus dentes. Ergo,
Æthiops est albus.

Huc

Huc spectant, quæ peccant contra Locum à *Toto in Modo.*

Solvitur hæc Fallacia distinguendo id, quod *simpliciter* verum est, ab eo quod est verum *secundum Quid* vel *ex parte* tantùm.

III. Παρὰ τὴν τοῦ ΕΛΕΓΧΟΥ ΑΓΝΟΙΑΝ. Fallacia IGNORATIONIS ELENCHI est, cùm id infertur ut Contradictorium alterius, quod non est. (ΕΛΕΓΧΟΣ ἐστι Συλλογισμὸς μετὰ ἀντιφάσεως τοῦ Συμπεράσματος. ELENCHUS est Syllogismus cum Contradictione Conclusionis, *ab alio assertæ:*) ut, contra asserentem, quòd *Plato fuit doctior Aristotele* (sc. *in rebus Divinis,*) si quis inferret, *Plato non fuit doctior Aristotele* (intelligendo *in humanis.*) *Ibid.* c. 2. §. 4.

Solvitur ostendendo defectum veræ *Contradictionis. v. de prop. Contradict.*

IV. Παρὰ τὸ ΕΝ ΑΡΧΗ ΛΑΜΒΑΝΕΙΝ. Fallacia PETITIONIS PRINCIPII est, cùm aliquid probatur per seipsum aut per aliud æquè ignotum: ut, *Dialecticam esse scientiam,* quia *Logica est Scientia. Animam humanam non esse ex traduce,* quia *creatur.* Sic cùm per ambages idem probatur per seipsum; quod dicitur *Idem per idem*: ut, *Ignem esse Elementum levissimum, quia est tenuissimum;* & *esse tenuissimum, quia est calidissimum;* & *esse calidissimum, quia esse levissimum.*

Sol-

Solvitur ostendendo *Medium* non esse à *Quæsito diversum*, aut saltem non esse illo *magis notum*.

V. Παρὰ τὸ ἘΠΟΜΕΝΟΝ. Fallacia CONSEQUENTIS est, cùm ex Antecedente infertur id, ut Consequens, quod non consequitur. Fit, quoties contra Regulas *Conversionis* vel Syllogismorum, (præcipuè *Hypotheticorum*) peccatur:

ut, *Omnis homo est animal.* Ergo,
Omne animal est homo. vel, Ergo,
Quod non est homo, non est animal.

Item, *Omne sensitivum est vivens.*
Planta est vivens. Ergo,
Planta est sensitiva. Vel,
Planta non est sensitiva. Ergo,
Planta non est vivens.

Solvitur negando *Consequentiam*, & ostendendo illam non valere juxta dictas *Regulas*.

VI. Παρὰ τὸ ΜΗ ΑΙΤΙΟΝ, ΩΣ ΑΙΤΙΟΝ. Fallacia NON CAUSÆ ut CAUSÆ est, cùm falsitas Conclusionis ex unâ Præmissâ falsâ proveniens, attribuitur alteri veræ, quæ causa ejus non est: ut,

Omne immortale est æternum.
Anima humana est immortalis. Ergo,
Anima humana est æterna. At Conclusio est falsa, Ergo & Minor. Ergo, *Anima humana est mortalis.* Sed inferendum erat, Ergo, Major sc. *Omne immortale est æternum*, est falsa; cujus falsitas

falsitas est causa falsitatis in Conclusione.

Solvitur negando Causam *falsam*, & assignando *veram*.

VII. Παρὰ τὸ ΠΛΕΙΩ ΕΡΩΤΗΜΑΤΑ ΕΝ ΠΟΙΕΙΝ. Fallacia PLURIUM INTERROGATIONUM, UT UNIUS est, cùm ad plures Interrogationes, ita propositas ac si una esset, una petitur Responsio: ut, *Estne mundus perfectus & æternus.* Si affirmes, inferet, *Mundum esse æternum*; si neges, inferet, *Mundum non esse perfectum.*

Solvitur non respondendo una responsione ad plures Interrogationes, sed distinctè ad singulas: ut, *Mundus est perfectus*; *& non est æternus.*

Atque hæc de ARGUMENTATIONE; adeoque de TERTIA PARTE LOGICÆ.

APPEN-

APPENDICULA.

DE

USU LOGICÆ.

USUS LOGICÆ consistit in METHODO ordinandâ.

METHODUS (seu ORDO) est apta dispositio rerum eodem pertinentium, ut faciliùs intelligantur & memoriæ mandentur.

REGULÆ ejus sunt *duæ*.

2. *A facilioribus ad difficiliora fiat progressus*, sive, Ea præmittantur, quæ faciliùs intelliguntur vel ad cognitionem sequentium conducunt. Ordiendum enim à facillimis, lumenque oportet & robur accipiant sequentia à præcedentibus; non contra.

2. *Singulæ partes inter se consentiant*. Quod alicubi astruitur, nullibi destruatur.

Methodus alia est INVENTIONIS alia DOCTRINÆ.

Diversâ etenim viâ ad *Disciplinas indagandas*, & ad indagatas *docendas* incedimus. Prior INVENTIO; DOCTRINA nobilior; utraque *à notioribus* nobis ad *ignotiora* procedit: sed alio atq; alio

alio modo, nempe *Ascendendo* illa; hæc *Descendendo*.

Methodus INVENTIONIS est, in quâ servatur Ordo inveniendis Disciplinis aptissimus; seu, quæ à singularibus & sensibilibus (quæ sunt notiora nobis simpliciter) ad universalia & intelligibilia (tanquam minùs nota) ascendit. Ejus 4 sunt *Media*, velut gradus, per quos ascendimus.

1. SENSUS; cujus adminiculo aliquam rei singularis notitiam haurimus.
2. EXPERIMENTUM, quod est Observatio (seu HISTORIA) quâ colligimus, & mente collocamus, quæ sensu aliquoties hausimus,
3. EXPERIENTIA, quâ collecta plura *Experimenta*, seu Observationes ad certum usum applicamus,
4. INDUCTIO, quâ collectas plures *Experientias* ad universalem Conclusionem constituendam adhibemus.

Hac Methodo usi sunt veteres in omnibus Disciplinis *inveniendis*.

Methodus DOCTRINÆ est, in qua servatur ordo tradendis *Disciplinis* aptissimus.

Hæc in GENESI & ANALYSI consideratur. In GENESI, cùm nos aliquid tractamus; in ANALYSI, cùm ab aliis tractata resolvimus. In utrâque eadem METHODUS conspicitur: in illâ rebus

bus texendis; in hâc retexendis (nam in eadem resolvitur unumquodque, ex quibus componitur) sicut eâdem viâ itur *Thebis Athenas*, & *Athenis Thebas*. Estque duplex, NATURALIS & ARBITRARIA seu *prudentiæ*.

Methodus NATURALIS est, in quâ servatur ordo *Naturæ*.

REGULÆ ejus sunt *quatuor*.

1. *A prioribus ad Posteriora naturâ*, sive, *ab universalioribus ad minùs universalia fiat descensus*. Quoniam cùm illa in his (adeoque in horum *Definitionibus*) contineantur, ad perfectam eorum cognitionem conducunt; ac proinde sunt illis *priora*, non tantum *naturâ*, sed & *nobis* quoad cognitionem distinctam.
2. *Omnes partes sint Homogeneæ*. i. e. non commisceantur, quæ ad diversas Disciplinas, aut ejusdem Disciplinæ diversas partes pertinent.
3. *Omnes partes aptis transitionibus connectantur*. Crebris enim *interruptionibus* intellectus & memoria turbantur; at aptâ partium colligatione utrumque juvabitur simul & *Methodi* ratio constabit.
4. *Nil desit, redundet, aut inutiliter repetatur*. *Mutilatio* dispendium, non Compendium est; & *Redundantia* damnum potius, quàm lucrum.

Metho-

Methodus Naturalis eſt *Totalis* vel *Partialis*.

Methodus *Totalis* eſt, quâ integra aliqua Diſciplina diſponitur.

Cum verò ordo *Naturæ* duplex ſit; alius Naturæ *Generantis*; alius *Intendentis* (quoad ordinem naturæ *Generantis* priora ſunt, quæ prius fiunt; ut, *Partes Toto*, *Cauſa Effectu*, *Media Fine*; quia hæc ex illis fiunt: at ordine naturæ *Intendentis* è contra, ſunt priora, quæ prius intenduntur; ut, *Totum partibus*, *Effectus Cauſâ*, *Finis Mediis*.) Methodus *Naturalis Totalis* quoq; duplex eſt, SYNTHETICA & ANALYTICA.

Methodus SYNTHETICA eſt, in qua ſervatur Ordo naturæ *Generantis*, ſive quæ à principiis Simplicibus ad ea progreditur, quæ ex illis ſunt Compoſita. Cujus tres ſunt partes *Subjectum*, *Principia* & *Affectiones*.

Præmiſſâ paucis *Subjecti* notione communi, tanquam *Præcogniti*. 1°. Agit de ejus *Principiis*. 2°. De communibus ejus *Affectionibus*. 3°. De Subjecti *Diviſionibus* ſeu *Speciebus*, à *Simplicioribus* ad magis *Compoſitas* (ſeu à magis ad minùs univerſales) deſcendendo, donec tandem ad *Infimas* perveniatur.

Hâc Methodo traduntur Diſciplinæ

THE-

THEORETICÆ seu *Speculativæ*, (quæ SCIENTIÆ vocantur) quarum Finis est ipsa Objecti *Cognitio* seu *Contemplatio*; quales sunt, PHYSICA, MATHEMATICA & METAPHYSICA.

REGULÆ ejus sunt *duæ*.

1. *Unitas Scientiæ pendet ab unitate Subjecti* seu *Objecti*; *Formalis* sc. non *Materialis*. Objectum *materiale* est res considerata; *Formale*, ratio sub quâ consideratur seu Modus considerandi. *Illud* unum potest esse idemque diversarum Disciplinarum; sic. ARITHMETICA & MUSICA considerant Numerum; GEOMETRIA & OPTICA Lineam: *Hoc* uniuscujusque est proprium; ut ARITHMETICA Numerum considerat, quà Numerum, MUSICA, quà *sonorum*; & GEOMETRIA Lineam quà *Lineam*, OPTICA, qua *Coloratam* seu *Visualem*. Unde sequitur, quòd.

2. *Nihil in* Scientiâ *tradendum est*, *quod non sit subjecto homogeneum*; sc. tanquam *Principium*, *Affectio* vel *Pars*.

Methodus ANALYTICA est, in quâ servatur ordo naturæ *Intendentis*, seu, quæ facto initio à fine ad media proxima, & ab his ad alia remotiora, procedit; donec tandem ad prima & simplicissima perventum sit.

Ejus 3. Sunt partes, *Finis*, *Subjectum* & *Media*. 1°. Agit de *Fine*. 2°. De

Subjecto,

Subjecto, in quod finis introducendus est. 3°. De ***Mediis*** per quæ introducitur, Ac primò de *principiis* illorum; tum de illis ipsis in *Genere*; postea in *Specie* usque ad *Infima* descendendo.

Hac Methodo traduntur Disciplinæ PRACTICÆ; ARTES, sc. & PRUDENTIÆ, quarum Finis à cognitione distinctus est; utpote quæ non acquiescunt in nudâ rerum contemplatione; sed illam dirigunt ad ulteriorem finem, nempe πρᾶξιν sive *operationem* aliquam cum cognitione consentientem; quales sunt GRAMMATICA, RHETORICA, LOGICA; MEDICINA, ARCHITECTONICA; Item ETHICA, POLITICA, OECONOMICA; quarum tres ultimæ sunt PRUDENTIÆ; reliquæ ARTES.

REGULÆ hujus Methodi sunt 2.

1. *Unitas Disciplinæ* Practicæ *pendet ab Unitate Finis.* Quod enim *Subjectum* est in *Contemplativis* seu THEORETICIS, id *Finis* est in *Operativis* seu PRACTICIS. Unde,
2. *Nihil tradendum est in Disciplinâ* Practicâ, *quod non sit Fini homogeneum*, sc. tanquam *Subjectum*, aut *Medium*, *mediive Principium*. Hæc de Methodo *Totali*.

Methodus *Partialis* est, quâ pars aliqua *Disciplinæ* disponitur, aut aliquod *Thema* seorsim tractatur.

Nota,

1. De *priori*; Quòd pars aliqua Disciplinæ, quæ tota disponitur ordine *Analytico*, possit servare Methodum *Syntheticam*; & contra: ut in Disciplinis PRACTICIS patet, quæ Methodo *Analyticâ* traduntur; tamen pars illa, quæ tractat de *mediis*, ordine *Synthetico* procedit à *Principiis* ad *Principiata*; de Mediorum sc. *Principiis* primum agendo; tum de ipsis *Mediis* in *Genere*, postea in *Specie*, donec ad *specialissima* perveniatur.

2. De posteriori; Quòd Thema est duplex, *Simplex*, quod Explicandum, & *Complexum*, quod argumentis Probandum est.

Thema *Simplex* est Terminus simplex, sive, quicquid concipi, exprimive potest sine Affirmatione & Negatione. Cujus tractandi rationis duæ sunt *partes*.

1. ΟΝΟΜΑΤΟΛΟΓΙΑ, NOMINIS EXPLICATIO; quæ consistit in ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΑ investigandâ; ΟΜΩΝΥΜΙΑ discutiendâ; & ΣΥΝΩΝΥΜΙΑ explicandâ, seu vocabulis Synonymis in eadem & aliis linguis, præsertim *Latinâ*, *Græcâ* & *Hebraicâ*, (si ad *Thematis* Explicationem aliquid conferunt) adducendis.

2. ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΑ REI DECLARATIO; in quâ primò proponendum est

Genus

Genus proximum (adhibitis, si opus sit, etiam *Remotioribus*) tum *Differentia* (vel ejus defectu, si ignoretur, *Proprium*) Item, *Causæ*, &c. Et si Thema sit ACCIDENS, etiam *Subjectum* & *Objectum*; ex quibus contexenda est DEFINITIO. Definitioni subjungenda sunt *Adjuncta* (*Propria*, & quandoque *Communia*) *Effecta*, *Similia*, *Dissimilia*, ac tandem *Opposita*. Postremò addenda est Thematis DIVISIO in *Species* vel in *Partes Integrantes* (si id instituti ratio requirat); quæ *Species* deinde aut *Partes* eâdem Methodo tractandæ sunt. *Exemplum vide apud Sanders. App.* 1. *de Usu Logicæ c.* 1.

Aliter sic. Tradita primò DEFINITIO resolvatur; in qua Resolutione expendendum primò *Nomen* Thematis Definiti (quo dictum est modo); tum *Genus* & *Differentia* (quibus constat *Definitio*); ex Differentiâ *Causæ* eliciendæ; item *Subjectum* & *Objectum* (quantum sc. ad propositi *Thematis* notitiam necessarium est); his *Adjuncta*, *Effecta*, &c. addenda sunt.

Prior Methodus *Synthetica* est; posterior *Analytica*. In utrâque observandum, ne quid temerè adhibeatur ad explicationem *Speciei*, quod ad *Genus* explicandum pertinet; utque omnia *judicio* fiant & *delectu*.

Thema *Complexum* est Propositio seu Problema, quod discutiendum proponitur. Cujus tractationis 5 sunt partes.

1. ΠΡΟΠΑΡΑΣΚΕΥΗ. PRÆFATIO de *Gravitate Controversiæ* & *Occasione Dubii*; quæ omitti potest, quando minùs necessaria videbitur.

2. ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ PRÆPARATIO QUÆSTIONIS; quæ fit. 1°. *Evolutione Tituli.* i. e. Explicatione Terminorum (*Subjecti* sc. & *Prædicati Quæstionis*) per varias illorum *Acceptiones*, *Definitiones*, & à Gognatis *Distinctiones*. 2°. *Conjectione Quæstionis*. i. e. Statûs Controversiæ constitutione; quæ fit ostendendo, tum quid ultro citroq; concessum est, quod τὸ ΔΙΔΟΜΕΝΟΝ ACCEPTIO DATI dicitur, tum quid propriè controversum est, quod τὸ ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΝ seu ΚΡΙΝΟΜΕΝΟΝ CONSITUTIO QUÆSITI vocatur.

3. ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ DECLARATIO & DEFENSIO propriæ sententiæ; quæ fit *Theses* seu *Conclusiones*, unam aut alteram (prout videbitur) proponendo; illas imprimis, in quibus aliorum sententiæ removentur; postea quæ nostram declarant; quibus singulis suæ *Confirmationes* è TOPICIS, partim sc. à *Ratione*, partim ab *Authoritate* seu *Testimonio* petitæ subjiciantur (ita tamen ut *Ratio* præcedat, si Thema sit

Philoso-

Philoſophicum; ſiu *Theologicum* ſit vel *Juridicum*, præcedat *Authoritas*) & ab *Exceptionibus* ac *Solutionibus* adverſariorum liberentur.

4. ΑΝΑΣΚΕΥΗ CONFUTATIO ſeu *Dilutio Objectionum*, quæ poni poſſunt, vel primo loco, & *Solutiones* ultimo, ut vulgò fit; vel omnes cum ſuis *Solutionibus* ſive primo ſive ultimo; vel ſingulæ poſt Singulas *Concluſiones*. Similiter & *Solutiones* ſubjicere licet, vel ſingulas ſingulis *Objectionibus*, vel univerſas univerſis; prout libuerit.

5. ΕΠΙΣΚΕΥΗ quæ ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ complectitur, ſeu CONSECTARIA & *Corollaria* ad *Praxim*, aut ad *Veritatem* aliquam illuſtrandã, vel ad alias Adverſariorum *Aſſertiones* evertendas conducentia, per *Subſumptionem* ex noſtris *Concluſionibus* immediatè, vel per neceſſariam *Conſequentiam* inferenda. Quæ novis *Rationibus* non ſunt probanda, cum in principalium *Concluſionum*, (unde clarè deducuntur,) probatione ſatis confirmata præſumantur. Sed hæc Pars, ut patet, non eſt ſemper neceſſaria. *Exemplum petatur à Sanderſ. ubi ſupra c. 2.*

Atque hactenus de Methodo *Naturali*.

Methodus ARBITRARIA eſt, quæ ad captum noſtrum eſt accommodata. Eſtque triplex (vel potiùs tres ſunt ejus *Partes*) *Deficiens*, cum omittuntur

adden-

addenda; *Redundans*, cum adduntur omittenda; & *Inversa*, cum transponuntur omnia.

Eâ utuntur ORATORES & POETÆ, quibus præter docendi institutum, *Auditorem Lectoremve* movere atque oblectare propositum est; ad quod quidem opus est CRYPSI, quæ in *Omissione*, *Additione*, & *Inversione* consistit. *Omittunt* ea, quæ *Dicenti* nocitura, vel *Auditoribus* tædium paritura videntur; etiamsi ad Causam maximè conducant. *Addunt* (*Digressiones* & alia) quæ ad Causæ contentionem magnopere non faciunt, ut Auditorem Lectoremve reficiant ac detineant. Denique *Probationes* omniaque miro artificio *Invertunt*, ne Ars ab Auditore animadversa suspecta sit, & assensum ejus impediat, ut hic (si uspiam) *Artis sit celare Artem.*



FINIS.

Errata graviora ſic corrigantur.

PAg. 26. lin. 21. --γονίαι. 31. 23. Eſt menſ-- 33. 6. -σπουδήν- 50. 4. *-tenſio-* 59. 6. *à fine*, -rituum. 65. 3. f. -μανθ- 75 13. *-to non diſp-* 78. 9. f. *-titatem*. 2. f. *ſſibili*. 82. 19. inſerri. 84. 5. f. ſeu 85. 4. f. -catum. 93. 1. -biles. 104. 9. Contr- l. 19. & ſi. 106. 6. *-ſità* Neg. 129. 30 & 31. *tranſponantur præmiſſæ Syllogiſmi.* 133. 5. f. BArMArA- FIMEO. 140. ult. ſſ. 4. 147. 19. -verſum *ſine puncto*. 153. 4. Concl- 154. 1. *-ſſunt*. 162. 2. *Phæbifer*. 163. 3. f. Conſequentiam, *lege* Concluſionem. 165. 14. Exp- 4. f. *ſit*. 170. 15. *ſentire*. 179. 3. ſic. 180. 3 & 5. *Si omne rat-* 181. 8. f. *-vum*. 187. 2. f. *-tivus -tivum*. 198. 13. *ejus*. l. *hujus*. 201. 10. f. *Lex, Proph*. 207. 8. in Marg. *Ariſt. l. 1. poſt. c. 5.* 217. 4. *Riſibi-* 223. 10. *ſit*. 227. 6. f. ETYMOLOGIA. 228. 13. -tur; non. 229. 1. *-ora*. 236. 15. *fecer-* 6. f. Si. 247. 2. f. φαινομ- 249. 23. *amiſit*. 251. 4. f. *-bum eſſe nigr*.

Institutiones LOGICÆ.

IN USUM
JUVENTUTIS ACADEMICÆ
DUBLINIENSIS.

Donatus à Rev.do Authore D. Narcisso Marsh, S.T.P.



DUBLINI,
Apud S. HELSHAM ad *Insignia Collegii*,
in vico vulgò dicto *Castle-street*. 1681.



Illuſtriſſimo Principi

JACOBO Duci *ORMONIÆ*,

Regni Hibernici tertiò (nec dum ſatis)

PROREGI;

Et (quod apud Eruditos non minùs illuſtre ſonat)

utriuſque Academiæ florentiſſimæ,

OXONIENSIS & DUBLINIENSIS,

D. Cancellario honoratiſſimo, exoptatiſſimo,

(& ſi par votis ſucceſſus fuerit, ſempiterno,)

Liber hic, librique Author,

ſe humiliter

D. D. C.

****

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ SYLLOGISTICA.

SYLLOGISMUS *fit ex* PROPOSITIONIBUS.

ΠΡΟΤΑΣΙΣ ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικὸς τινὸς κατά τινός. PROPOSITIO est oratio aliquid de aliquo affirmans vel negans. *Arist. l. 1. An. pr. c. 1.*

{ Aff: ut, *Homo est animal.*
{ Neg: ut, *Homo non est immortalis.*

Q. 1. Quot in Propositione reperiuntur? *R.* Tria, sc. SUBJECTUM, PRÆDICATUM & COPULA.

1. SUBJECTUM est id, quod ordine constructionis præcedit verbum *Est:* ut, *Homo*, in allatis exemplis.

2. PRÆDICATUM est id, quod ordine constructionis sequitur verbum *Est:* ut, *Animal*, &, *Immortalis.*

3. COPULA est verbum substantivum *Est*, conjungens Prædicatum cum Subjecto.

Q. 2. An tria ista semper ponantur in Propositione? *R. S*emper ponuntur *explicitè* vel *implicitè*.

Ponuntur *explicitè*, quando post verbum *Est* ordine constructionis nominativus sequitur: ut *in allat. exempl.*

Ponuntur *implicitè*, quando vel verbum *Est* non ponitur, vel post illud ordine constructionis nominativus non sequitur.

 ut,

ut, { *Johannes ſtudet.*
Petrus orat Deum.
Hypocrita cupit videri juſtus.
Deus eſt.
Pecus eſt Meliboei. }

Ratio eſt, quia Prædicatum ſemper debet caſu convenire cum Subjecto. Unde ut *explicitè* ponantur, reſolvendum eſt verbum in participium & verbum ſubſtantivum *Eſt*, vel, ſi quid ſubintelligatur, illud addendum eſt:

ut, { *Johannes eſt ſtudens.*
Petrus eſt orans Deum.
Hypocrita eſt cupiens videri juſtus.
Deus eſt exiſtens.
Pecus eſt pecus Meliboei. }

Q.3. Quot ſunt PROPOSITIONES in Syllogiſmo? *R.* Tres, ſc. MAJOR, MINOR & CONCLUSIO.

1. MAJOR PROPOSITIO eſt, quæ primo loco ponitur.
2. MINOR PROPOSITIO eſt, quæ ſecundo loco ponitur.
3. CONCLUSIO eſt, quæ ultimo poſita ſequitur notam illativam *Ergo*:

ut, { *Homo eſt animal* / *Rationale eſt homo*; ergo / *Rationale eſt animal.* } { Major, / Minor. / Concluſio. }

Q. 4. Quot ſunt TERMINI in Syllogiſmo? *R.* Tres, ſc. MAJOR, MINOR & MEDIUS TERMINUS.

1. MAJOR TERMINUS est Prædicatum Conclusionis: ut, *Animal.*

2. MINOR TERMINUS est Subjectum Conclusionis: ut, *Rationale.*

3. MEDIUS TERMINUS est, qui tam in Majore quam in Minore propositione ponitur, & non in Conclusione: ut, *Homo.*

Q. 5. Quot modis disponi possit MEDIUS TERMINUS? *R.* Tribus modis;

1, Ut sit Subjectum Majoris, & Prædicatum Minoris Propositionis; quæ vocatur PRIMA FIGURA:

ut, { *Homo est animal.*
Rationale est homo. ergo
Rationale est animal.

2. Ut sit Prædicatum utriusque (Majoris & Minoris propositionis;) quæ vocatur SECUNDA FIGURA:

ut, { *Animal est homo.*
Rationale est homo. ergo
Rationale est animal.

3. Ut sit Subjectum utriusque; quæ vocatur TERTIA FIGURA:

ut, { *Homo est animal.*
Homo est rationalis. ergo
Rationale est animal.

quæ hâc Sententiâ continentur;

Sub: Præ: PRIMA. Bis Præ: SECUNDA. TERTIA bis Sub:

Q. 6. Quot sunt MODI SYLLOGISTICI? *R.* Novendecim (quorum 14 sunt DI-

REC-

RECTI, & 5 INDIRECTI) his versiculis comprehensi;

Fig. 1. BArbArA. CElArEnt. DArII. FErIO. (BArAlIpton. CElAntEs. DAbItIs. FApEsmO. FrIsEsO morum.)

Fig. 2. CEsArE. CAmEstrEs. FEstInO. BArOcO.

Fig. 3. DArAptI. FElApOn. DIsAmIs. DAtIsI. BOcArdO. FErIsOn.

Horum quinque, ad primam Figuram pertinentes, parenthesi inclusi, sunt INDIRECTI, id est, Minor Terminus de Majore prædicatur in Conclusione.

Ubi notandum est,

1. Quòd tres primæ Syllabæ cujusvis vocabuli denotant tres Propositiones Syllogismi; sc. prima MAJOREM, secunda MINOREM, &c.

2. Quòd quatuor vocales A.E.I.O. hoc modo significent; sc.

A. Propositionem universalem Affirmativam, seu de omnibus affirmat; cujus Signum est OMNIS: ut, *Omnis homo est animal.*

E. Propositionem universalem Negativam; seu de omnibus negat; cujus Signum est NULLUS: ut, *Nullus homo est irrationalis.*

I. Propositionem Particularem Affirmativam, seu de aliquibus affirmat; cujus Signum est ALIQUIS: ut, *Aliquis homo est animal.*

O.

O. Propositionem Particularem Negativam, seu de Aliquibus negat; cujus Signum est ALIQUIS NON: ut, *Aliquis homo non est immortalis.*

Juxta hoc Distichon;

Asserit A, Negat E; verum *Generaliter* ambæ:
Asserit I, Negat O; sed *Particulariter* ambo.

Exempla Syllogismorum in MODIS cujusvis FIGURÆ.

Fig. 1. BAr- *Omnis homo est animal.*
bA- *Omne rationale est homo.* ergo
rA. *Omne rationale est animal.*

Fig. 2. CE- *Nullum animal est homo.*
sA- *Omne rationale est homo.* ergo
rE. *Nullum rationale est animal.*

Fig. 3. DA- *Omnis homo est animal.*
rAp- *Omnis homo est rationalis.* ergo
tI. *Aliquod rationale est animal.*

Quod si Major vel Minor propositio Syllogismi desit, vocatur ENTHYMEMA:
ut, *Omne rationale est homo.* ergo
Omne rationale est animal.

Cujus prior propositio dicitur ANTECEDENS, posterior CONSEQUENS; & Illatio Consequentis ex Antecedente dicitur ARGUMENTUM.

DE SYLLOGISMO HYPOTHETICO.

Q. 7. An præter nominatos dantur alii Syllogismi? R. Dantur alii, magis usitati, li-

licet minus boni; qui vocantur HYPOTHETICI:

ut { *Si homo sit rationalis, homo est risibilis.*
Sed homo est rationalis. ergo
Homo est risibilis. }

Quorum Major propositio constat ex ANTECEDENTE & CONSEQUENTE:

ut, { *Si homo sit rationalis*, est ANTECEDENS.
Homo est risibilis, est CONSEQUENS. }

Q. 8. Quot sunt MODI syllogismorum HYPOTHETICORUM? R. Duo.

1. A positione ANTECEDENTIS ad positionem CONSEQUENTIS; *i.e.* cùm sumitur Antecedens pro Minore, & inde infertur Consequens pro Conclusione: ut *in al. Ex.* non contrà:

ut, { *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus movetur. Ergo
currit. }

2. A Remotione CONSEQUENTIS ad remotionem ANTECEDENTIS, *i.e.* cùm sumitur oppositum Consequentis pro Minore, & inde infertur oppositum Antecedentis pro Conclusione:

ut, 1. { *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus non movetur. ergo
non currit. }

2. { *Si Equus non movetur, non currit.*
Sed Equus currit. ergo
movetur. }

Si

3. *Si Simia non sit irrationalis, est homo*
Sed Simia non est homo. ergo
est irrationalis.

4. *Si Simia sit rationalis, non est brutum.*
Sed Simia est brutum. ergo
non est rationalis.

Non contra; ut,
1. *Si Equus currit, movetur.*
Sed Equus non currit, ergo
non movetur.

2. *Si Equus non movetur, non currit.*
Sed Equus movetur. ergo
currit.

DE SYLLOGISMO DISJUNCTIVO.

Q. 9. An dantur adhuc alii Syllogismi usitati? R. Dantur DISJUNCTIVI:

ut, *Aut dies aut nox est.*
Sed non est dies. ergo
est nox.

Q. 10. Quot sunt MODI Syllogismorum DISJUNCTIVORUM? R. Est unicus tantum, sc:

A remotione *reliquarum* partium ad positionem unius.

ut, *Aut pax est, aut bellum, aut induciæ.*
Sed *neq; pax est, neq; bellum.* ergo
sunt induciæ

Non

Non contra: *Felix est vox masculini vel fœminini vel neutrius generis.*
ut, *Sed est vox masculini generis.* ergo *non est fœminini vel neutrius,* &c.

INSTITUTIONES LOGICÆ.

LOGICA (seu DIALECTICA) est ars instrumentalis, dirigens mentem nostram in rerum cognitione.

Unde pro triplici mentis operatione, (sc. APPREHENSIONE *simplici*, JUDICIO & DISCURSU) tres sunt *Partes* Logicæ;

1. DE TERMINO SIMPLICI.
2. DE ENUNCIATIONE.
3. DE ARGUMENTATIONE.

Quarum prima primam, secunda secundam, & tertia tertiam mentis operationem dirigit.

PARS I.

DE TERMINO SIMPLICI.

ΟΡΟΣ ἐστιν εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται. TERMINUS est, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum, & id de quo prædicatur. *Itaque in omni propositione sunt duo Termini*, sc. SUBJECTUM & PRÆDICATUM.

Arist. l. 1. An. pr. c. 1.

Q. 1.

Q. 1. Quare Subjectum & Prædicatum vocantur TERMINI? R. Quia sunt extrema propositionis, quæ illam terminant. Extrema enim cujusque rei vocari solent ejus Termini: ut in *Lineâ*, *primum* & *ultimum punctum* vocantur *Termini lineæ*.

Q. 2. An voces extra propositionem positæ sunt TERMINI? R. Non sunt propriè, quia non sunt extrema propositionis: vocantur tamen TERMINI, quia saltem aptæ sunt locum extremorum obtinere. *Sicut apud Grammaticos* Conjunctio *dicitur*, *licet nihil conjungat*; *quia ex vi suæ significationis apta est verba vel sententias conjungere.*

Terminus est SIMPLEX vel COMPLEXUS.

Terminus SIMPLEX est, qui simplicem habet significationem: ut, *Homo*, *Animal rationale*,

Terminus COMPLEXUS est, qui compositam habet significationem, id est, plura simul significat: ut, *Homo albus*. *Pluit*, Id est, cœlum vel nubes pluit.

Q. 3. An uterque hic Terminus ad primam partem Logicæ pertinet? R. Non, sed *simplex* tantùm; nam *complexus*, quia est Oratio, pertinet ad secundam.

Termini simplices hic spectantur vel *in se*, vel prout in certas rerum CLASSES dispositi sunt.

Ter-

Termini simplices in se spectati vel *separatim* vel *conjunctim* considerantur.

Terminus simplex separatim consideratus est SYNCATEGOREMATICUS, CATEGOREMATICUS vel MIXTUS.

Terminus SYNCATEGOREMATICUS est vox, quæ per se nihil significat; sed aliis juncta illis certum significandi modum tribuit: ut, *Omnis*, *nullus*, *utinam*, *apud*, &c. Quidam ex his dicuntur SIGNA, quia significant vocem, cui adjunguntur, sumi universaliter vel particulariter. Unde SIGNA sunt Universalia: ut, *Omnis*, *quilibet*, *nullus*, &c. vel Particularia: ut, *Aliquis*, *quidam*, *aliquis non*, &c. & utraq; vel Affirmativa: ut, *Omnis*, *aliquis*, &c. vel Negativa: ut, *Nullus*, *aliquis non*, &c.

Terminus CATEGOREMATICUS est vox, quæ per se aliquid significat, nec ullum iucludit Syncategorema: ut, *Homo*, *lapis*, &c.

Terminus MIXTUS est, qui Categorema & Syncategorema includit: ut, *Nemo*, id est, nullus homo. *Nusqnam*, i. e. nullo loco.

Q. 4. An qui à Categoremate aliquo derivatur (ut *Hominis*, *doctè*, *sapienter*, &c.) est Terminus SYNCATEGOREMATICUS? R. Non, sed ad suum Categorema reducendus est.

Q. 5. An SYNCATEGOREMA propriè est Terminus? R. Non, quia per se non potest esse subjectum aut prædicatum propositionis, sed illis tantùm adjungi; cùm non sit *significativum*, sed *consignificativum*.

DE TERMINO CATEGOREMATICO.

Terminus CATEGOREMATICUS trifariam dividitur.

I. Prima *Divisio* Termini Categorematici est in RELATIVUM & ABSOLUTUM.

Terminus RELATIVUS est, qui significat respectum ad aliud: ut, *Pater*, *filius*, &c. Nam non potest intelligi *pater*, nisi ut respectum habens ad *filium*, sive ut *filii pater*: nec *filius*, nisi ut *patris filius*, &c.

Terminus ABSOLUTUS est, qui non significat respectum ad aliud: ut, *Homo*, *linea*, *albedo*, &c.

II. Secunda *Divisio* Termini Categorematici est in CONCRETUM & ABSTRACTUM: nec non in CONNOTATIVUM & ABSOLUTUM; DENOMINATIVUM & DENOMINANTEM, qui illis pæne æquivalent.

1. Terminus CONCRETUS est, qui significat Formam & Subjectum: ut, *Album*. Significat enim *Albedinem*, quæ est Forma; & *rem affectam albedine*, quæ est Subjectum ejus. Nam sic integrè redditur. *Album est res affecta albedine*.

Q. 6. Quid hîc vocatur *Forma* & quid *Subjectum?* R. *Forma* hîc dicitur omne id, quod alteri Denominationem aliquam seu appellationem tribuit: ut, *Albedo* respectu lactis; quia dat illi denominationem albi. Et *Subjectum* hîc est omne id, quod ab altero denominationem aliquam seu appellationem suscipit: ut, *Lac* respectu albedinis; quia suscipit ab illâ denominationem albi.

Terminus Concretus est DENOMINANS INTRINSECE vel EXTRINSECE.

Terminus DENOMINANS INTRINSECE est, qui tribuitur ei, in quo est Forma per ipsum significata: ut, *Album.* Nam tribuitur lacti, nivi, papyro, *&c.* in quibus est *albedo.*

Terminus DENOMINANS EXTRINSECE est, qui tribuitur ei, in quo non est Forma per ipsum significata: ut, *Videri, visum esse*, &c. Nam tribuitur parieti, in quo Forma per ipsum significata, sc. *Visio*, non est, sed in oculo. Talia sunt omnia verba & participia passiva actiones animæ significantia: ut, *Audiri*, *intelligi, amari*; *Auditum, intellectum, amatum esse*, &c. Nam pecunia dicitur *amari*, cum *amor* non sit in pecunia, sed in animo amantis. Item pleraque verba & participia activa alias actiones significantia: ut, *Illuminare, calefacere*; *Illuminans, calefaciens*, &c. Nam ignis dicitur

calefacere aquam; cum *calefactio* non sit in igne, sed in aqua.

Terminus ABSTRACTUS est, qui solam Formam significat: ut, *Albedo.*

2. Terminus CONNOTATIVUS est, qui significat Formam quasi adjacentem: ut, *Album, dulce,* &c.

Q. 7. Quid est *significare Formam quasi adjacentem?* R. Est significare *Adjective.* Itaque sola Adjectiva, & quæ per modum adjectivorum significant (ut Relativa, *Dominus, servus; pater, filius,* &c.) sunt Connotativa.

Q. 8. Quotuplex *significatum* habet Terminus Connotativus? R. Duplex, *Materiale* & *Formale.* Significatum *materiale* est subjectum Formæ nomine Connotativo expressæ. Significatum *Formale* est ipsa Forma: ut, *Album* pro significato Materiali habet *rem affectam albedine*, v. g. *lac*; pro Formali, ipsam *Albedinem.*

Q. 9. An Terminus Connotativus significatum suum *Materiale* & *Formale* eodem modo significat? R. Non; nam Materiale significatur *in recto:* Formale *in obliquo:* Id autem significatur *in recto*, quod in explicatione Termini significantis ponitur in Nominativo casu; & id significatur *in obliquo*, quod ponitur in obliquo: ut, *Album* explicatur, *res affecta albedine.*

Q. 10.

Q. 10. Quid est igitur *Connotare*, & quid *Connotatum?* R. *Connotare* est, præter id quod in recto significatur, aliquid importare in obliquo. *Connotatum* est id, quod in obliquo significatur, ultra id quod importatur in recto: ut, *Pater* dicitur *connotare filium*, & *Filius*, *esse ejus connotatum*; quia *pater est is, qui genuit filium.*

Terminus ABSOLUTUS est, qui non significat Formam quasi adjacentem; ut, *Albedo*, *Lapis*, *Homo*, &c. Unde aliter hîc sumitur; ac ut *Relativo* oppositus.

3. Terminus DENOMINATIVUS idem est, qui Connotativus; estque triplex.

1. *Voce tantùm*, qui cum aliquo Abstracto convenit initio dictionis, sed ab eo differt formali significatione: ut, *Somnolentus*, respectu abstracti *Somnus*, qui significat *quietem naturalem*; at *Somnolentus*, *vitium*. Hic ad Grammaticam pertinet.

2. *Significatione tantùm*, qui cum aliquo abstracto convenit tantùm significatione, non voce: ut, *Dormiens* respectu abstracti *Somnus*.

3 *Voce & significatione simul* qui cum aliquo abstracto convenit significatione & initio dictionis, sed ab eo differt finali terminatione: ut *Album* respectu abstracti *Albedo*. Hic solùm definitur ab Arist. his verbis, *Arist. Cat. c. 1.*

ΠΑΡΩΝΥΜΑ λέγεται ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα τῇ πτώσει, τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει·

DENOMINATIVA dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia casu, inde nominis appellationem habent.

Terminus DENOMINANS est abstractus Denominativo vel Connotativo respondens: ut, *Albedo*. Vocatur FORMA DENOMINANS.

Termino Denominativo & Denominanti respondet DENOMINATUS, qui est subjectum de quo Forma dicitur: ut, *Cygnus*, respectu *albi*. Vocatur SUBJECTUM DENOMINATIONIS.

III. Tertia Divisio Termini Categorematici est in SINGULAREM (seu INDIVIDUUM) & COMMUNEM.

DE INDIVIDUO.

Porph. Isag. c. 2. Sect. 27.

Ἄτομον ἐστιν, ὃ ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος λέγεται.

INDIVIDUUM est, quod de uno solo particulari dici potest: ut, *Johannes*, *Petrus*, &c.

Q. 1. Quomodo *Johannes* est Individuum, cùm de pluribus dicatur? R. Est Individuum, quia ex se significat hunc solum singularem hominem, qui sic appellatur. Quod verò alii etiam eodem nomine conveniant, hoc est merè per Accidens, & præter institutionem propriorum nominum. Nec aliquid illis commune denotat; sed in significatione prorsus diversâ illis attribuitur. Adeo ut vox *Johannes* (& idem est de aliis similibus)

libus) quoad ſonum quidem multis communis ſit ; quoad ſignificationem verò uni propria ; proindéque ſit *Terminus ſingularis* : quia penes ſignificationem Termini attendendi ſunt.

Individuum eſt DETERMINATUM vel VAGUM.

Individuum DETERMINATUM eſt, quod de uno certo particulari dicitur. Et exprimitur 4. Modis.

1. Per Nomen Proprium : ut, *Ariſtoteles.* Et dicitur Individuum Signatum ſeu *Determinatum* (ſc. ex Nomine)
2. Per Nomen Commune & Pronomen demonſtrativum : ut, *Hic homo.* Et dicitur Individuum *Demonſtrativum.*
3. Per Nomen Commune, quod κατ' ἐξοχὴν ſumitur pro Proprio : ut, *Philoſophus* pro Ariſtotele. *Orator* pro Cicerone, *&c.*
4. Per Periphraſin : ut, *Præceptor Alexandri*, *i. e.* Ariſtoteles. Et dicitur Individuum *Periphraſticum.* Hæc duo poſtrema vocantur Individua *ex Hypotheſi* ; quia factâ certâ ſuppoſitione tantùm dicantur de uno (cùm abſolutè ex vi ſignificationis ſuæ dici poſſint de multis) ut, *Philoſophus* & *Præceptor Alexandri* de Ariſtotele ; ſuppoſito, ibi ſermonem eſſe de Principe Philoſophorum ; hîc Alexandrum unum tantùm Præceptorem habuiſſe.

Individuum VAGUM eſt, quod de uno

particulari incerto (ſeu indeterminato) dicitur. Et exprimitur per Nomen commune & Pronomen particulare: ut, *Aliquis homo. Quidam equus*, &c.

Q. 2. An Individuum VAGUM ſit propriè dictum Individuum? *R.* Abſolutè loquendo non eſt; quia dici poteſt de multis: ut, *Quidam homo* de Johanne, Petro, *&c.* Vocatur tamen Individuum, quia unum quid per illud ordinariè deſignamus.

DE TERMINO COMMUNI.

Terminus COMMUNIS eſt, qui dici poteſt de multis diviſim ſumptis: ut, *Homo*, de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 1. Quid eſt *dici de multis diviſim ſumptis?* *R.* Eſt eorum ſingulis tribus ſeorſim: ut, *Johannes eſt homo. Petrus eſt homo*, &c. Non omnibus conjunctim: ut, *Populus* vel *Numerus* tribuitur Johanni & Petro, *&c.* cùm dico, *Johannes & Petrus & cæteri homines Dublinienſes ſunt populus* vel *numerus.* Hujuſmodi dicuntur Termini COPULATIVI vel COLLECTIVI; ſúntque revera *ſingulares* (non *communes*) quia unam ſingularem ſeu particularem collectionem ſignificant. Quatenus verò *populus* de *hoc* & *illo populo* dici poteſt, ſic eſt Terminus COMMUNIS; quia multis collectionibus tribuitur. Et ſic de cæteris.

Terminus Communis eſt ÆQUIVOCUS vel UNIVOCUS.

Terminus ÆQUIVOCUS est, qui pluribus tribuitur in diversâ significatione: ut, *Gallus* homini & avi. *Homo* vero & picto

Q. 2. Unde cognosci potest terminum aliquem *pluribus tribui in diversâ significatione.* R. Hinc, quòd varius conceptus ei respondeat in mente, prout uni & alteri attribuitur (*i. e.* quod ejus significata variè concipiantur) & hoc fit, quando diversæ explicationes illi debent adhiberi: ut, *Homini*, respectu veri & picti; quia ille est *animal rationale*; hic, *Figura & imago hominis.* Unde constat Terminum ÆQUIVOCUM non esse propriè *unum*, sed *multiplicem*, quia multiplicem habet significationem; adeóque revera non esse *Terminum communem.*

Terminus Æquivocus est PURE ÆQUIVOCUS vel ANALOGUS.

Terminus PURE ÆQUIVOCUS est, qui plura æquè primò significat: ut, *Canis*, domesticum, cœlestem & marinum; *Gallus*, hominem & avem.

Terminus ANALOGUS est, qui plura non æquè primò significat; sed unum primariò, alterum secundariò: ut, *Homo*, verum hominem primariò & propriè, pictum secundariò & impropriè significat.

Terminus Æquivocus dicitur ÆQUIVOCUM ÆQUIVOCANS, quod est nomen commune pluribus tributum in di-

versâ significatione. Huic respondent ÆQUIVOCA ÆQUIVOCATA, quæ sunt res plures, quibus idem nomen in diversâ significatione tribuitur: ut, *Domesticus*, *Cœlestis* & *Marinus* respectu Canis. Hæc sola definiuntur ab Arist: his verbis,

Arist. Categ. c. 1. sect. 1.

ΟΜΩ'ΝΥΜΑ λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος. ÆQUIVOCA sunt, quorum nomen solum commune est; ratio verò substantiæ nomini accommodata diversa, *i. e.* sunt entia plura, quibus tribuitur idem nomen, sed ita ut definitio seu explicatio nominis sit diversa.

Terminus UNIVOCUS est, qui pluribus tribuitur in eadem significatione: ut, *Homo*, Johanni, Petro, *&c.*

Q. 3. Unde cognosci potest Terminum aliquem *pluribus tribui in eadem significatione?* *R.* Hinc quod idem conceptus ei semper in mente respondeat (*i. e.* quòd ejus significatum eodem modo semper concipiatur) & hoc fit, quando eadem explicatio semper illi possit accommodari: ut, *Homini*, respectu Johannis, Petri, *&c.* quia semper explicatur per *animal rationale.* Hoc accidit, quoties idem nomen pluribus imponitur, ad illud significandum, in quo conveniunt.

Terminus Univocus dicitur UNIVOCUM UNIVOCANS, quod est nomen commune

ne pluribus tributum in eadem ſignificatione. Huic reſpondent UNIVOCA UNIVOCATA, quæ ſunt res plures, quibus idem nomen in eadem ſignificatione tribuitur: ut, *Johannes* & *Petrus*, reſpectu hominis. Hæc ſola definiuntur ab Ariſt: his verbis.

ΣΥΝΩ'ΝΥΜΑ λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός. UNIVOCA dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eſt eadem, *i. e.* ſunt Entia plura, quibus tribuitur idem nomen, ita ut definitio ſeu explicatio nominis ſemper maneat eadem. *Ariſt: categ: c. 1. ſect. 2.*

Terminus Univocus eſt propriè *Communis*, & dicitur UNIVERSALE vel PRÆDICABILE.


DE PRÆDICABILIBUS.

ΚΑΘΟ'ΛΟΥ ἐστὶν, ὃ ἐπὶ πλειόνων πέφυκε κατηγορεῖσθαι UNIVERSALE (ſeu PRÆDICABILE) eſt, quod ſuâ naturâ aptum eſt prædicari de pluribus: ut, *Homo*, reſpectu Johannis & Petri, *&c.* Licet enim dicere *Johannes eſt homo*, *Petrus eſt homo*, &c. *Ariſt. de Interp. c.7. ſect. 1.*

Q. Quare dicitur *aptum eſt prædicari*; & non potius, *prædicatur?* R. Quia non eſt neceſſe, ut actu prædicetur UNIVERSALE (hoc enim conſtituit PRÆDICATUM)


TUM) ſed ſatis eſt, quod aptum ſit prædicari; ut fit, dum ponitur extra Propoſitionem; aut in ea tenet locum Subjecti; vel unicum ſolum Individuum habet: ut, *Sol*, *Luna*, &c. & *Homo*, cùm ſolus Adam creatus fuerit.

Univerſale ſeu *Prædicabile* eſt quintuplex, ſc. GENUS, SPECIES, DIFFERENTIA, PROPRIUM & ACCIDENS; quorum numerus ex modo prædicandi ſic colligitur.



ARBOR

ARBOR PORPHYRIANA
Seu potiùs
Linea Prædicamentalis.



DE GENERE ET SPECIE.

Porph. Isag. c. 2. Arist. l. 1. Top. c. 5.

ΓΕ'ΝΟΣ ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. GENUS est, quod de pluribus *specie* differentibus prædicatur in *Quid:* ut, *Animal* de Homine & Bruto; & sic reliqua superiora in linea prædicamentali. Post Copulam hîc intelligitur *Universale*, ut sit; *Genus est universale, quod, &c.* quod & in Definitionibus aliorum Prædicabilium intelligendum e

Q. 1. Quæ per *specie differentia* hîc intelliguntur? *R.* Species differentes, *i. e.* quæ sunt diversæ naturæ seu essentiæ: ut, *Homo* & *Brutum* sub animali, *&c.*

Q. 2. Quid est *prædicari in Quid?* *R.* Est esse prædicatum propositionis, per quam respondetur quæstioni factæ per *Quid:* ut si quæratur, *Quid est homo?* Respondetur, *Homo est animal.*

Porph. Isag. c. 2.

ΕἾΔΟΣ ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον. SPECIES est, quod de pluribus *numero* differentibus prædicatur in *Quid:* ut, *Homo*, de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 3. Quæ hîc dicuntur *differentia numero?* *R.* Quæ sic tantùm distinguuntur, ut faciant numerum: ut, *Johannes* & *Petrus*, qui faciunt numerum binarium. Unde hac Definitione excluditur Genus comparatum ad Species diversas aut ad earum Individua: ut, *Animal* ad *Hominem* & *Brutum*, & ad *Johannem* & *Bucephalum*, quæ qui-

quidem differunt numero, ſed non tantùm.

Q. 4. Quomodo Species *prædicatur de numero differentibus?* R. *Immediatè* ac *de iis ſolis.* Nam Genus prædicatur de illis *mediatè:* ut, *Animal* de *Johanne* & *Petro* mediante *homine*; nec tamen de iis ſolis.

Huic ſpeciei *Prædicabili* ſubjungitur *Subjicibilis.*

Εἶδός ἐστι τὸ τασσόμενον ὑπὸ τὸ γένος, καὶ οὗ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται. Species (*Subjicibilis*) eſt, quæ ſubjicitur Generi, & de qua Genus prædicatur in *Quid:* ut, *Homo*, reſpectu Animalis. Et ſic de reliquis aſcendendo in linea Prædicamentali. *Ibid.*

Q. 5. Quomodo Species *ſubjicitur Generi?* R. *Directè* & *Immediatè.* Nam Differentiæ ſubjiciuntur *indirectè* & *collateraliter*; ut, *Rationale* & *Irrationale* Animali: Et Individua *mediatè*; ut, *Johannes* & *Petrus* eidem, mediante Homine. At ſola Species *directè* & *immediatè* ſubjicitur.

Genus in *Summum* & *Subalternum*, & Species in *Infimam* & *Subalternam* dividitur.

Γένος γενικώτατόν ἐστιν, ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ἐπαναβεβηκὸς γένος. Genus *generaliſſimum* (ſeu *ſummum*) eſt, quo non eſt aliud ſuperius Genus: ut, *Subſtantia.* Genera *Ibid.*

nera summa sunt decem, sc. SUBSTANTIA, QUANTITAS, QUALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS.

Ibid. Εἶδος εἰδικώτατόν ἐστι, μεθ' ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ὑποβεβηκὸς εἶδος. Species *specialissima* (seu *Infima*) est, quâ non est alia inferior Species: ut, *Homo*. Species Infimæ sunt in certo numero; sed nobis incognito.

Ibid. Γένη καὶ εἴδη ὑπάλληλά ἐστιν, ἃ καὶ γένη καὶ εἴδη ἐστὶ τὰ αὐτὰ, πρὸς ἄλλο μέντοι καὶ ἄλλο λαμβανόμενα.

Genera & Species *Subalterna* sunt, quæ eadem & Genera sunt & Species; ad aliud tamen atque aliud relata. Respectu *Inferiorum* quidem Genera; respectu *Superiorum* verò Species: ut, *Corpus*, *Vivens*, *Animal*.

DE DIFFERENTIA.

Porph. Isag. c. 3. ΔΙΑΦΟΡΆ ἐστι, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ὁποῖόν τί ἐστι κατηγορούμενον.

DIFFERENTIA est, quod de pluribus *specie* (vel *numero*) differentibus prædicatur in *Quale quid*: ut, *Sensitivum* de Homine & Bruto; *Rationale* de Johanne, Petro, *&c.*

Q. 1 Quid est *prædicari in Quale Quid*? R. Est esse prædicatum propositionis, perquam respondetur quæstioni factæ per *Qual. quid*, sive, *Qualis est res secundùm essen-*

essentiam: ut, si quæratur, *Qualis est homo secundùm essentiam?* Respondetur, *Homo secundùm essentiam est sensitivus.*

Q. 2. Cur Definitioni Porphyrianæ additur, *vel numero?* R. Ut omnibus differentiis conveniret; quia quædam de pluribus solo numero differentibus prædicantur: ut *Rationale* de Johanne & Petro, *&c.*

Q. 3. Quare has Differentias in suâ Definitione non inclusit *Porphyrius?* R. Quia nullas hujusmodi Differentias *Simplices* agnovit; sed tantùm *Complexas*: ut, *Rationale-mortale*, *Rationale-immortale*, *&c.* quæ non pertinent ad Prædicabilia; quia Prædicabilia sunt *Termini simplices.*

Differentia est *Divisiva* vel *Constitutiva.*

Διαφοραὶ διαιρετικαὶ εἰσι, καθ' ἃς τὰ γένη εἰς τὰ εἴδη διαιροῦμεν. *Ibid.*

Differentiæ *Divisivæ* sunt, quibus Genera in suas species dividimus: ut, *Corporea* & *Incorporea* respectu Substantiæ; & cæteræ respectu Generum, quibus indirectè supponuntur.

Διαφοραὶ Συστατικαὶ εἰσι, καθ' ἃς τὰ διαιρεθέντα εἰδοποιεῖται. *Ibid.*

Differentiæ *Constitutivæ* sunt, quibus divisa specificantur, *i. e.* quæ constituunt species: ut, *Corporea* corporis, *Incorporea* spiritûs respectu; reliquæque respectu Specierum, quibus indirectè superponuntur.

Q. 4. An omnis Differentia *Divisiva* sit etiam *Constitutiva*, & contra? R. Ita, sed respectu diversorum; *Divisiva* quidem Generis; *Constitutiva* verò Speciei sub illo

con-

contentæ. Unde *Dividere Genus* & *Constituere speciem* sunt tantùm diversa munera ejusdem Differentiæ.

Differentia Constitutiva est *Generica* vel *Specifica*.

Differentia *Generica* est, quæ constituit Speciem subalternam: ut, *Corporea*, *Animatum*, *Sensitivum*.

Q. 5. Cur vocatur *Generica?* R. Quia constituit id, quod est *Genus*; alio tamen respectu. Nam prout constituitur, respicit Superiora (unde Differentiam suam mutuatur) idem verò respectu Inferiorum est *Genus*.

Differentia *Specifica* est, quæ *proximè* constituit Speciem Specialissimam: ut, *Rationale*.

Q. 6. Quare dicitur *proximè?* R. Quia Differentia Generica *remotè* constituit Speciem specialissimam. Est enim *Regula*;

Differentia dividit ascendendo, & constituit descendendo, non contra. Sive, Differentia Divisiva Inferioris est Divisiva Superiorum; & Constitutiva Superioris est Constitutiva Inferiorum; sed remotè; non contra: ut, *Rationale*, quod *Animal*, etiam *vivens*, *Corpus*, *Substantiam* dividit; & *Corporea*, quæ *Corpus*, etiam *vivens*, *Animal*, *Hominem* constituit. Hinc Genera *Subalternatim* (*i. e.* in in eadem lineâ rectâ) posita habent easdem Differentias, tam Divisivas, quàm Constitutivas. *No-*

Nota Differentiam Specificam aliquando latè sumi, ut etiam comprehendat Genericam; quia constituit Speciem Subalternam.

DE PROPRIO.

PROPRIUM 4. Modis accipitur.

1. Ὃ μόνῳ τινὶ εἴδει συμβέβηκεν, εἰ καὶ μὴ παντί. *Porph. Isag.c.4.*
Quod soli alicui Speciei accidit, etsi non omni, *i. e.* non omnibus ejus Individuis: ut, Homini *esse Medicum.*

2. Ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ.
Quod omni accidit Speciei; etsi non soli: ut, Homini esse *bipedem,* i. e. *aptum habere duos pedes.*

3. Ὃ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ποτὲ· Quod soli, & omni, & aliquando [*accidit:*] ut, Homini *canescere* (sc. in senectute)

4. Ἐφ' ὃ συνδέδραμηκε καὶ τὸ μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί.
In quo concurrunt & soli, & omni, & semper [*accidere:*] ut, Homini *esse risibilem;* Equo *esse hinnibilem.*

Q. 1. Quid in his Definitionibus est *accidere?* *R.* Est convenire non essentialiter. Unde excluditur *Differentia.*

Q. 2. Quomodo accipitur *Proprium*, ut est *quartum Prædicabile?* *R.* Quarto modo; quod sic definitur.

PROPRIUM est, quod de pluribus specie vel numero differentibus prædicatur in *Quale accidentale necessariò.* (Prædicatio in *Quale Accidentale* absolutè dicitur in *Quale*

Quale) Ab Arist. sic definitur,———

Arist. l. 1. Top. c. 4. sect. 5.

Ἴδιον ἐστιν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ' ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος.

PROPRIUM est, quod non declarat quid res sit, soli autem inest, & conversim de ea prædicatur. Unde est *Inseparabile* à sua specie, & *Incommunicabile* alteri.

Proprium est *Genericum* vel *Specificum*.

Proprium *Genericum* est, quod prædicatur de pluribus specie differentibus: ut, *Mobile* (quod est proprium *Corporis*) de *Vivente* & *non-vivente*.

Proprium *specificum* est, quod prædicatur de pluribus solo numero differentibus: ut, *Risibile* (quod est proprium *Hominis*) de *Johanne*, *Petro*, &c.

DE ACCIDENTE.

Porph. Isag c. 5.

Συμβεβηκός ἐστιν, ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς. ACCIDENS est, quod adest & abest sine Subjecti corruptione, *i. e.* quod potest convenire & non convenire alicui sine ejus destructione: ut, *Albus* parieti, *&c.*

Q. 1. Quare dicitur, *potest convenire & non convenire?* R. Quia falsum est, quod Accidens actu adsit & absit; hæc enim repugnant: sed aptum est ut adsit & absit.

Q. 2. Cur additur, *sine Subjecti corruptione?* R. Quia cætera Prædicabilia possunt ab-esse

esse à subjectis suis *cum illorum interitu?* ut, *Animal* ab Homine, destructo illo.

Accidens est *Separabile* vel *Inseparabile.*

Accidens *Separabile* (χωριστὸν) est, quod actu abesse potest à Subjecto suo: ut, *Niger* ab Æthiope.

Q. 3. Quomodo datur Accidens *Inseparabile*, cùm omne Accidens possit *abesse à Subjecto suo?* R. Omne Accidens potest *abesse Mente*; sed datur aliquod, quod non potest *abesse reipsa*; & illud dicitur *Inseparabile.*

Q. 4. Quid est *abesse Mente?* R. Est negari de Subjecto, salvâ in mente ejus essentiâ: ut etiamsi negetur *Niger* de *Æthiope*; non tamen in mente destruetur *Æthiopis Essentia.*

Q. 5. Quare *Proprium* non potest sic abesse; cùm non sit de essentiâ Subjecti? *R.* Quia emanat ab ejus essentiâ, illam necessariò consequens. Unde sublato Proprio tollitur essentia: juxta Dictum, *Qui tollit Proprietates, tollit Essentiam.*

Tandem Accidens, ut Prædicabile, sic definitur,

ACCIDENS est, quod de pluribus specie vel numero differentibus prædicatur in Quale Accidentale contingenter: ut, *Albus* dicitur contingenter de *Homine*, *pariete*, *lapide*, &c. nam possunt esse *nigri*; &

actus ridendi de *Johanne, Petro*, &c. nam possunt *non ridere*.

Hactenus de Terminis simplicibus *separatim* consideratis; quantum ad præsens institutum sufficiat.

Termini simplices *conjunctim* considerantur quatenus sunt inter se *comparati* quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* vel quoad *Ordinem*.

Termini quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* comparantur 4. modis; sc. ut *Convertibiles*, ut *Repugnantes*; ut *Magis & minus Communes*; ut *Excedentes & Excessi*.

Termini CONVERTIBILES sunt, quorum utervis totum alterum includit; seu, Qui de seinvicem universaliter affirmari possint: ut, *Homo* & *Risibile*; Nam, *Omnis homo est risibilis*, &, *Omne risibile est homo*.

Termini REPUGNANTES sunt, quorum neuter aliquid alterius includit, seu, Qui de seinvicem universaliter negari possint: ut, *Homo* & *Brutum*; Nam, *Nullus homo est brutum*; &, *Nullum brutum est homo*. Aliter, REPUGNANTIA sunt, quæ de eodem singulari simul veræ affirmari non possunt: ut, *Album* & *nigrum*.

Q. Quot *Conditiones* requiruntur ad veram Repugnantiam? R. Quatuor; sc. ut Termini sumantur. 1. κατὰ τὸ αὐτὸ, *secun-*

cundum idem. i. e. eandem partem & naturam: ut *Esse album & nigrum*, secundum eandem partem Æthiopis; *fuisse* & *non fuisse mortuum*, secundum eandem naturam Christi. 2. Πρὸς τὸ αὐτὸ, *Ad idem.* i. e. eodem respectu: ut, *Esse duplum* & *dimidium* respectu ejusdem magnitudinis. 3. Ὡσαύτως, eodem modo; ut, *Habere* & *non habere principium.* sc. durationis. 4. Ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, respectu ejusdem temporis: ut, *Esse calidum* & *frigidum* simul. Aliàs non repugnant. *Arist. Soph. Elench. c. 5.*

Repugnantia sunt DISPARATA vel OPPOSITA.

DISPARATA sunt, quæ non præcisè repugnant, *i. e.* sunt Repugnantia, quorum unum tertio æquè vel magis repugnat eodem repugnandi modo: ut, *Homo* & *Equus*; *Album* & *Rubrum*. *Homo* enim æquè repugnat *Leoni* ac *Equo*; *Album* verò magis *Nigro*, quàm *Rubro*.

DE OPPOSITIS.

OPPOSITA (τὰ ἀντικείμενα) sunt, quæ præcisè repugnant. *i. e.* sunt Repugnantia, quorum neutrum tertiò æquè vel magis repugnat eodem repugnandi modo: ut, *Album* & *Nigrum*; *Servus* & *Liber*. *Album* enim nulli tam repugnat, quam *Nigro*; nec vice versâ: & *Servus* æquè repugnat *Domino* ac *Libero*; sed diverso re-

repugnandi modo.

Opposita sunt RELATIVA, CONTRARIA, PRIVATIVA & CONTRADICTORIA.

Q. 1. Unde colligitur ista Divisio? *R:* Ex modis generalibus opponendi, quibus

Ens opponitur
- Enti
  - Relativo: ut, *Pater Filio*; quæ sunt RELATIVE OPPOSITA.
  - Absoluto: ut, *Album nigro*; quæ sunt CONTRARIA.
- Non Enti
  - Privativo: ut, *Visus cæcitati*; suntque PRIVATIVE OPPOSITA.
  - Negativo: ut, *Homo non homini*: suntque CONTRADICTORIA.

Arist. Cat. c. 10.

I. Ὅσα δὲ ὡς τὰ πρός τι ἀντίκειται, αὐτὰ ἅ[περ] ἐστι τῶν ἀντικειμένων λέγονται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς αὐ[τά]. RELATIVE OPPOSITA sunt, quæ, i[d] ipsum quod sunt, oppositorum esse dicuntur, aut alio aliquo modo ad illa, *i. e.* [ad] Opposita genitivo vel alio casu expr[essa] referuntur: ut, *Pater* & *Filius*; *Majus* [&] *minus*; & omnia Correlativa. Nam P[a]ter *est filii pater*; & contra: &, *Majus* [est] *minore majus*; & contra.

Q. 2. Quomodo Correlativa sunt Opposit[a] cùm se mutuò ponunt? *R.* Correlati[va] considerantur dupliciter. 1. Quaten[us]

tr

tribuuntur diversis; ut, Pater *Anchisæ*, & Filius *Æneæ*: & sic se mutuò ponunt, quia non est Pater, nisi habet Filium. 2. Quatenus tribuuntur eidem respectu ejusdem; ut, Pater & Filius *Anchisæ* respectu *Æneæ*: & sic se tollunt; quia idem non potest esse Pater & Filius ejusdem. Priori modo postea in Prædicamentis; posteriori hîc spectantur.

Q. 3. Cur dixisti *respectu ejusdem?* *R.* Quia si tribuantur eidem respectu diversorum (ut, Pater & Filius *Anchisæ*, respectu *Capis* & *Æneæ*) non erunt Opposita ob defectum secundæ Conditionis Repugnantium; ut nec quæ primo modo sumuntur, ob defectum primæ.

II. Τὰ ἐναντία ἐστὶ τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν *Arist.*
ἐν τῷ αὐτῷ γένει. CONTRARIA sunt, quæ *Cat.c.*
sub eodem genere posita maximè à se in- 10.
vicem distant, (& eidem subjecto susceptivo vicissim insunt, à quo se mutuò expellunt, nisi alterum insit à natura) ut, *Album* & *Nigrum*.

Q. 4. Quot sunt *Conditiones* Contrariorum? *R.* Quatuor in eorum definitione contentæ. 1. Ut sint sub eodem genere, sive proximo sive remoto. Hinc excluduntur *Privativè opposita* & *Contradictoria*. 2. Ut sub illo genere maximè distent. *i. e.* præcisè repugnent. Hinc excluduntur *Disparata*. 3. Ut eidem subjecto vicissim insint: ut, *Calor* & *Frigus*, eidem aquæ.

Hinc

Hinc excluduntur *Relativè opposita.* 4. Ut ab illo subjecto se mutuò expellant: ut, *Calor* expellit *Frigus* ab aqua, & contra.

Q. 5. Cur additur in Definitione, *nisi alterum insit à natura?* R. Quia tunc necesse non est, ut vicissim insint; ideoque unum non debet alterum expellere (quia nil propriè expellitur ex alio, nisi aliquando fuerit in illo) ut, *Calor* & *Frigus* non insunt vicissim *igni*, nec ex eo se expellunt; quia *calor* inest à natura, estque ab illo inseparabilis.

Ibid. Contraria sunt *Mediata* vel *Immediata*.

c. 10. Contraria *Mediata* (ὧν ἐστί τι ἀνὰ μέσον) sunt, quibus aliquid est intermedium utriusque particeps; sive, quorum utrumque abesse potest à subjecto capaci (nisi alterum insit à natura) ut, *Album* & *Nigrum*; *Calidum* & *Frigidum*, &c. Datur enim subjectum capax, quod nec est album nec nigrum, sed particeps utriusque: ut, *Pannus ruber* vel *viridis*, &c. Item, quod nec sit calidum nec frigidum; sed aliquid utriusque in se habet: ut, *Aqua tepida*.

Contraria Immediata (ὧν οὐδὲν ἐστιν ἀνὰ μέσον) sunt, quibus nihil est intermedium utriusque particeps: sive, quorum alterum necesse est inesse subjecto capaci: ut, *sanum* & *ægrum*; *par* & *impar*, &c. Quia nullum datur *animal*, quod nec sit *sanum* nec

nec *ægrum*, sed utriusque particeps. Item, nullus *numerus* nec *par* nec *impar*.

Q. 6. Cur additur, *subjecto capaci?* R. Quia dari potest subjectum incapax, cui neutrum Contrariorum immediatorum insi; sive, de quo utrumque negari possit: ut, *Lapis* ad sanum & ægrum comparatus, quod vocatur *Medium Negationis* sive Subjecti; quia est subjectum, de quo negatur utrumque extremum; & inter omnia Opposita, præter *Contradictoria*, reperitur. Alterum vocatur *Medium Participationis* sive Formæ; quia de utrâque contrariâ Formâ participat: ut, *Tepor* de *calore* & *frigore*; *Rubedo* de *albedine* & *nigredine*. Et de hoc Medio intelligitur divisio Contrariorum.

III. PRIVATIVE OPPOSITA sunt Habitus & illius Privatio: ut, *Visus* & *Cæcitas*. *Ibid.*

Q. 7. Quid hîc vocatur *Habitus?* R. Quævis Forma, quæ haberi debet hîc dicitur (ἕξις) Habitus: ut, *Visus* respectu hominis.

Q. 8. Quid est *Privatio?* R. PRIVATIO (στέρησις) est absentia Formæ debitæ à subjecto capaci, tempore ac loco à naturâ determinatis: ut, *Cæcitas*, respectu hominis.

Q. 9. Cur dicitur, *à subjecto capaci?* R. Quia absentia Formæ à Subjecto incapaci non est

est Privatio, sed pura NEGATIO: ut, *Lapis* non dicitur *privatus visu* aut *cæcus*; sed *non videns*.

Q. 10. Cur additur, *tempore ac loco à natura determinatis?* R. Quia absentia Formæ à Subjecto ante tempus vel extra locum à natura determinatum ad eam habendam, non est Privatio sed mera NEGATIO: ut, *Catulus ante nonum diem*, aut *Homo in loco tenebroso existens*, non est *cæcus*, sed tantùm *non videns*; nec *Urinator sub aqua* est *surdus*, sed *non audiens*; quia natura pro idoneis visui & auditui tempore ac loco hæc non designavit.

Q. 11. Quare superadditur, *Formæ debitæ?* R. Ut Privatio *Logica* distingueretur à *Physica*, quæ est absentia Formæ, (non quæ debet; sed solùm) quæ potest inesse Subjecto, eamque præcedit: cùm Privatio Logica Formam, vel naturalem aptitudinem ad eam, sequatur.

Ibid. IV. CONTRADICTORIA sunt, ὅσα ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντίκειται, quæ ut affirmatio & Negatio opponuntur: ut, *Homo* & *non homo*; *Album* & *non album*. Terminus Negativus in Contradictoriis, vel *expressè* negat; ut in ali. ex: vel *implicitè* tantùm, cùm alterius negationem involvit; ut, *Homo irrationalis*, quod idem est, ac *Homo non homo*; quia irrationale non est homo. Sic *Corpus unum in pluribus locis* seu *ubique*, idem est ac *Corpus non*

non corpus. Hæc vocatur *Implicatio Contradictionis*; *Contradictio in adjecto*; *Oppositum in apposito.*

Contradictoriorum *Proprietates* sunt duæ.

1. Ἀντίφασις ἐστιν ἀντίθεσις, ἧς οὐκ ἐστι μεταξὺ καθ' αὑτήν. *Contradictio est oppositio medio per se carens*, sive, Inter Contradictoria non datur medium, neque Participationis neque Negationis (unde, *Alterum Contradictoriorum verificatur de omni Ente & Non Ente*) Nil enim est *& homo & non homo*; aut, *nec homo, nec non homo.*

2. *Contradictio est Oppositionum maxima, prima & reliquarum mensura. Maxima*, quia caret omni medio. *Prima*, quia ipsa nullam, at aliæ omnes (etiam *Disparata*) illam præsupponunt; in cæteris enim includitur, & nullam includit. Nam ideo *Filius Patri* opponitur Relativè, quia *Filius est non Pater*; *Nigrum albo* Contrariè, quia *nigrum est non album*, &c. Et hinc est *Reliquarum mensura*; nam primum in unoquoque genere est, mensura reliquorum, & eo censetur major repugnantia, quo ad Contradictionem, quæ maxima est, magis accedit.

Hæc de Terminis *Repugnantibus.*

Termini MAGIS & MINUS COMMUNES sunt, quorum unus totum alterum includit; sed non contra: sive, quorum unus potest de altero universaliter affirmari, at non alter vicissim de illo, sed particula-

lariter tantùm: ut, *Animal* est terminus magis communis, quam *homo*; quia *omnis homo est animal*, at *non omne animal est homo*, sed *aliquod* tantùm.

Termini EXCEDENTES & EXCESSI sunt, quorum uterivis aliquod alterius includit, sed neuter totum; sive, quorum neuter de altero potest universaliter affirmari vel negari, sed particulariter tantùm: ut, *Homo* & *albus*. Nam *nec omnis homo est albus*, *nec omne album est homo*, sed *aliquod* tantùm. Dicuntur *Excedentes* & *Excessi*, quia se mutuò excedunt & exceduntur. Nam uterque de eodem affirmari potest; ut, de *Anglo*; & alteruter de aliquo, de quo alter non potest; ut, *Homo* de Æthiope, de quo non *albus*; & *Album* de Cygno, nive, papyro, *&c.* de quibus non *homo*.

Sic de Terminis quoad *Convenientiam* & *Disconvenientiam* comparatis.

Termini comparantur quoad *Ordinem* quatenus unus alio *Prior*, aut *Posterior*, vel *Simul* cum eo dicitur.

DE MODIS PRIORIS, POSTERIORIS & SIMUL.

PRIUS unum alio dicitur quinque Modis.

Arist. *Categ.* *c. 12.*

1. *Tempore*, καθ' ὃ πρεσβύτερον ἕτερον ἑτέρου καὶ παλαιότερον λέγεται, secundùm quod aliquid altero ve-

vetustius & antiquius dicitur; sc. πρεσβύτερον si sit res animata; ut, *Pythagoras Socrate*; παλαιότερον, si inanimis aut factum: ut, *Bellum Trojanum Punico.*

2. *Naturâ*; idque dupliciter,

Primò *Causalitate*, ὃ τῶν ἀντιστρεφόντων κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, αἴτιόν ἐστιν ὁπωσοῦν θατέρῳ τοῦ εἶναι, quod, cùm secundùm existendi consecutionem reciprocetur, quomodocunque causa est, cur alterum sit. Ideo prior effectu est Causa Reciproca (*i. e.* quæ ab effectu infertur, & vicissim illum infert:) ut, *Ortus Solis die*, *Rationale risibili.* Nam sequitur, *Ortus est Sol*; ergo est *dies*; & contra. *Est rationale*; ergo *est risibile*, & contra.

Secundò, *Consecutione*, ἀφ' οὗ μὴ ἀντιστρέφει ἡ τοῦ εἶναι ἀκολούθησις, id, à quo non reciprocatur existendi consecutio, *i.e.* quod ab altero infertur, sed non vicissim illud infert: ut, *unum duobus*; quia sequitur, *Sunt duo*; ergo *est unum*; non contra. Sic omnis Terminus magis communis prior est Minùs communi; ut, *Animal homine*; & Causa non reciproca suo affectu: ut, *Deus Creaturâ*; *Ferrum gladio*, &c.

3. *Dispositione*, κατά τινα τάξιν πρότερον λέγεται, quod ordine alterum præcedit, id prius eo dicitur: ut, *Exordium narratione.*

4. *Dignitate*, τὸ βέλτιον καὶ τὸ τιμιώτερον πρότερον τῇ φύσει δοκεῖ, quod dignius est & præstantius, id prius naturâ suâ videtur, sive in se,

sive

ſive noſtrâ tantùm æſtimatione tale ſit: ut, *Anima corpore*; *Amici alienis*. Quod enim pluris facimus, hoc apud nos prius & antiquius dicitur.

5. *Cognitione*, τὸ γνωριμώτερον, quod eſt notius ſeu noſcibilius, idque bifariam, 1. ἁπλῶς, *ſimpliciter* ſeu *ſecundùm naturam*. Sic naturâ priora ſunt notiora *naturâ*; atq; etiam *nobis*, cognitione diſtinctâ & perfectâ: ut, *Univerſalia ſingularibus*; *Partes toto*; *Cauſæ effectibus*; &c. 2. κατά τι, *ſecundùm quid* ſeu *reſpectu noſtri*. Sic naturâ poſteriora, ſenſibuſque noſtris propinquiora, ſunt notiora *nobis* cognitione confuſâ & imperfectâ: ut, *Singularia univerſalibus*; *Totum partibus*; *Effectus cauſis*; &c.

Tot modis dicitur *Poſterius*, quot *Prius*; quia non eſt Prius ſine Poſteriori; cùm omne Prius dicatur reſpectu Poſterioris.

SIMUL unum cum alio dicitur duobus modis.

Ariſt. Categ. c. 13. 1. *Tempore*, ὧν ἡ γένεσις ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, quorum productio eſt in eodem tempore: ut, *quæ ſimul naſcuntur*. Secundariò etiam quorum unum incipit, antequam alterum deſinit; quales ſunt *Cυγχρόνοι Contemporanei*: ut, *Ariſtoteles* & *Plato*.

2. *Naturâ*; idque dupliciter

Primò, *Conſecutione*, ὅσα ἀντιστρέφει μὲν κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, μηδαμῶς δὲ αἴτιον θάτερον θατέρῳ τοῦ εἶναί ἐστι, quæ reciprocantur quidem ſecundùm

dùm exiſtendi conſecutionem, neutrùm verò cauſa eſt, cur alterum ſit, *i. e.* quæ ex ſe mutuo inferuntur, ſed neutrum eſt cauſa alterius: ut, *Dominus* & *ſervus*; *Pater* & *Filius*; & omnia Correlativa. Nam *ſi eſt Dominus*, *eſt ſervus*. *Si Pater*, *Filius*, &c., & contra.

Q. Quomodo hoc verum eſt, cùm *Pater ſit cauſa Filii?* *R.* Pater, quà homo, eſt cauſa Filii, quà hominis, atque prior eo, non tantùm naturâ, ſed & tempore; at non quà Pater, h. e. *Paternitas* non eſt cauſa *Filiationis*, nec eâ prior ullo modo. Neque enim priùs aliquis eſt Pater, quàm alter eſt Filius; ſed Simul v. g. *Philippus eſt pater Alexandri*, &, *Alexander eſt filius Philippi.*

Secundò *Diviſione*, τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα ἀλλήλοις, quæ ex eodem genere ſibi invicem in Diviſione opponuntur, cujuſmodi ſunt duæ proximæ Species ejuſdem Generis: ut, *Homo* & *Brutum*. Dicuntur verò *ſimul Diviſione*, quia idem Genus æqualiter dividunt & participant: ut, *Brutum æquè perfectè dividit & participat animal, ac Homo.* Nec enim prius *Homini*, & illius gratiâ *Bruto*; ſed æquè & immediatè utrique convenit *Animal*; quia unum illorum ab altero non dependet. Secùs ac in *Analogis*.

Atque hucuſque *de Terminis in ſe* conſideratis.

Ter-

Termini in certas rerum CLASSES dispositi constituunt CATEGORIAS seu PRÆDICAMENTA.

DE PRÆDICAMENTIS.

CATEGORIA seu PRÆDICAMENTUM est series vel ordo terminorum magis & minùs communium sub uno summo genere gradatim dispositorum.

Q. 1. Cur talis series vocatur *Categoria* seu *Prædicamentum*? R. Quia Termini, ex quibus constat, sunt materia Prædicationis: nam magis communes apti sunt de minùs communibus prædicari. Unde *Prædicamentum est prædicatorum & subjectorum series.*

Q. 2. Quo fine traduntur hæc Prædicamenta? Ut in prompto sint *Termini*, ad faciendas *Propositiones*, & ex iis *Syllogismos*, qui ultimus scopus est *Logicæ*.

Q. 3. Quot modis Termini ponuntur in Prædicamentis? R. Tribus, sc. *Directè*, *Indirectè & Reductivè*.

I. *Directè* ponitur *Genus summum*, cum iis de quibus prædicatur in Quid, sc. *Subalternis*, *Speciebus specialissimis & Individuis*.

Q. 4. Quot *Conditiones* requiruntur, ut Terminus *Directè* ponatur in Prædicamento? R. Quinque, sc. ut sit

1. *Terminus simplex*. Hinc excluduntur *Ora-*

Orationes & *Termini Æquivoci.*

2. *Ens Reale*, *i.e.* quod reipsa existit, vel saltem existere potest. Prius dicitur Ens reale in actu: ut, *Homo*, *Equus*, *Rosa in vere*; Posterius, Ens reale in potentia: ut, *Rosa in hyeme*. Hinc excluduntur *Entia fictitia*, i. e. impossibilia mente concepta & conficta; quæ, quòd à Ratione fiunt, & per Rationem solùm existunt, ENTIA RATIONIS vocantur: ut, *Chimæra*, *Hippocentaurus*, &c.

3. *Ens unum* seu res unius naturæ, *i. e.* quæ non componitur ex rebus ad diversa Prædicamenta pertinentibus: ut, *Angelus* ex nullis partibus; *Homo* ex corpore & anima, quæ sunt substantiæ, constans. Hinc excluduntur *Composita* seu *Aggregata per Accidens*, i. e. quæ ex rebus ad diversa Prædicamenta pertinentibus constant, qualia sunt omnia *Artefacta*, ex Substantiâ & Figurâ artificiali composita: ut, *Sedes*, *vestis*, &c.

4. *Ens Completum*, i. e. quod non concurrit tanquam pars ad rem unius naturæ componendam: ut, *Homo*, *Equus*, &c. Hinc excluduntur *Entia Incompleta*, i. e. quæ concurrunt tanquam partes ad rem unius naturæ componendam: ut, *Corpus*, *Anima*, *pes*, *caput*, *&c.* ad compositionem *Hominis*.

Q. 5. Cur *Genus* non excluditur, cùm sit pars Speciei (nam Species ex Genere &

Diffe-

Differentiâ componitur? R. Qnia *Genus* ut Genus (*i.e.* ut Speciem sub se continet) est *Totum potentiale* (nam idem est in Potentiâ, quod Species est actu) licet, ut Essentiam speciei componit, sit *pars Actualis*. *Differentia* verò est tantùm *pars*. Hinc exclusâ Differentiâ, *Genus* non excluditur.

5. *Ens Finitum*, i. e. finitæ perfectionis, ut intra finitos Prædicamenti cancellos contineatur : quales sunt *Omnes creaturæ*. Hinc excluditur *Deus Opt. Max.* quoniam omnia Prædicamenta transcendit.

II. *Indirectè* ponuntur *Differentiæ*, quæ ad latera Generum, tantùm ad divisionem faciendam, constituuntur.

III. *Reductivè* ponuntur, quæ respectum aliquem habent ad ea quæ directè collocantur. Sic *Partes* reducuntur ad Prædicamentum, in quo est *Totum* : ut, *Caput*, *manus*, *pes*, &c. hominis, ad illud, in quo est *Homo*. Denominativum ; ut, *Album* ad prædicamentũ Formæ Denominantis, Composita per Accidens ; ut, *Vestis*; ad illud, quod est suorum Simplicium, *&c.*

Prædicamenta sunt decem, à decem summis Generibus nominata, SUBSTANTIA, QUANTITAS, QUALITAS, RELATIO, ACTIO, PASSIO, UBI, QUANDO, SITUS, HABITUS. Quorum

ium novem ultima vocantur ACCIDENTIA.

Horum *Natura* & *Proprietates* consideranda sunt.

De Prædicamento SUBSTANTIÆ.

SUBSTANTIA (ἡ οὐσία) est Ens per se existens, *i. e.* quod non est in alio tanquam in subjecto Inhæsionis: ut, *Homo*, *Lapis*, &c. Huic opponitur *Accidens*.

ACCIDENS est Ens in alio existens, *i. e.* quod est in alio tanquam in Subjecto Inhæsionis: ut *Albedo*. Necesse est enim, ut sit in *nive*, *lacte*, *chartâ*, vel aliquo alio subjecto.

Q. 1. Quid est esse in *Subjecto Inhæsionis*? *R.*

Ἐν ὑποκειμένῳ μὲν ἐστιν, ὃ ἔν τινι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστι. *Arist. Categ. c.* 2.

In subjecto est illud, quod cum in aliquo sit, non ut pars, non potest esse sine eo, in quo est: ut, *Albedo* est in pariete; quia nec pars ejus est, nec sine eo esse potest eadem albedo: Non ita Substantia existit in aliquo, *v. g. Vinum* in vase; quia sine vase esse potest.

Substantia est *Prima* vel *Secunda*.

Substantia *prima* est singularis: ut, *Johannes*, *Petrus*, &c.

Substantia *secunda* est universalis: ut, *Homo*, *Animal*, &c.

Q. 2. Cur Subſtantia ſingularis dicitur *prima*, & univerſalis *ſecunda?* R. Singularis dicitur *prima*, quia omnibus aliis, tanquam primum fundamentum ſubſtat. Nam omnes aliæ ſubſtantiæ ſunt in illâ, ut in *primo ſubjecto eſſentiali*, de que eâ prædicantur, ut de *ſubjecto Prædicationis*; & (cum omne Accidens ſit in Subſtantiâ) etiam omnia Accidentia ſunt in illâ, ut in *ſubjecto Inhæſionis*. Cùm ergo Substantia dicatur à *Subſtando*, ſingularis meritò vocatur *Prima*. Univerſalis autem, cùm non omnibus aliis (quia nec Subſtantiis, nec Accidentibus ſingularibus) ſubſtat, & ſic non eſt primum reliquorum ſubjectum, ſed veluti ſecundarium, *Secunda* dicitur.

Proprietates Subſtantiæ ſunt quatuor.

Ariſt. Categ. c. 5.


1. Κοινὸν κατὰ πάσης οὐσίας τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι. Commune eſt omni Subſtantiæ *non eſſe in Subjecto* ſc. Inhæſionis. Hoc convenit etiam *Differentiis* & *Partibus* Subſtantiarum.

2. Ὑπάρχει ταῖς οὐσίαις καὶ τὸ μηδὲν αὐταῖς ἐναντίον εἶναι. Convenit Subſtantiis, *nihil eis eſſe Contrarium*, *i.e.* una Subſtantia non eſt alteri contraria *per ſe* ſeu ratione ſui, per propr. 1. *Per accidens* verò, ſeu ratione alterius eſſe poteſt: ut, *Ignis aquæ* ratione *caloris* & *frigoris*.

3. Δοκεῖ ἡ οὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον: Substantia videtur *non suscipere magis & minùs*, *i. e.* nomina Substantiarum non prædicantur cum adverbiis *magis & minùs*: ut, *Johannes* non est *magis* vel *minùs homo*, quàm *Petrus*, &c. licet sit major vel minor. At in ratione substandi, *prima Substantia dicitur magis Substantia* (*i. e.* pluribus substare) *quàm secunda.*

4. Μάλιστα ἴδιον τῆς οὐσίας δοκεῖ εἶναι τὸ ταὐτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὂν τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν. Maximè proprium Substantiæ esse videtur, eam unam numero existentem *susceptivam esse Contrariorum*, *i. e.* una & eadem Substantia vicissim suscipere potest Contraria tanquam ultimum Subjectum, *h. e.* quod non est in ulteriori: ut, *Eadem aqua calorem & frigus.*

Q. 3. Cur addis, *tanquam ultimum Subjectum?* R. Quia Quantitas etiam recipit Contraria: ut Superficies *albedinem* & *nigredinem.* At non tanquam ultimum subjectum, cum ipsa sit in ulteriori sc. Substantia.


SUBSTANTIA
Spiritus
Michael
Gabriel
Raphael &c.
Corpus
Non vivens
Simplex
Cælum.
Empyræum.
Firmamentum.
Planetarum.
Elementum.
Ignis.
Aer.
Aqua.
Terra.
Mixtum
Metallum.
Aurum.
Argentum.
Ferrum, &c.
Lapis.
Silex.
Iaspis.
Sardonyx, &c.
Horum Media.
Gluten.
Gummi.
Sulphur, &c.
Vivens
Planta
Herba.
Beta.
Thymus.
Hysopus, &c.
Frutex
Genista.
Vepres.
Arundo, &c.
Arbor
Quercus.
Malus.
Corylus, &c.
Animal
Brutum
Animal reptile
Lumbricus.
Vipera.
Coluber &c.
Piscis.
Salmo.
Gobio.
Rhombus, &c.
Avis.
Philomela.
Olor.
Anser &c.
Animal quadrupes
Equus.
Leo.
Porcus.
Homo
Johannes.
Petrus
Thomas, &c.

De

De Prædicamento QUANTITATIS.

QUANTITAS (τὸ ποσὸν) eſt, ſecundùm quam aliquid Quantum aut Quotum dicitur: ut, *Linea pedalis*; *Numerus ternarius*.

Q. 1. Quid eſt *Quantum* aut *Quotum* dici? *R.* Eſt denominari in Concreto, quo aptè reſpondetur quærenti Quantum aut Quot ſint: ut, *Lignum* dicitur *pedale* à *lineâ pedali*; & *tria* dicuntur à *numero ternario*. Nam ſi quæratur, *Quantum eſt lignum?* Reſp. *Eſt pedale*, ſi, *Quot ſunt*. *R. Tria*. Hinc

Quantitas eſt *Continua* vel *Diſcreta*.

Quantitas *Continua* (τὸ ποσὸν συνεχὲς) eſt, quæ habet partes termino communi copulatas: ut, *Linea pedalis*. *Ariſt. Cat. c. 6.*

Q. 2. Quid hîc eſt *Terminus Communis?* *R.* Eſt aliquid indiviſibile in Quantitate, partes ejus ita conjungens; ut ſit finis unius, & initium alterius; unde *Communis* dicitur: ut, *Medium momentum horæ*.

Quantitas Continua eſt *permanens* vel *ſucceſſiva*.

Quantitas *permanens* eſt, cujus omnes partes ſimul exiſtere poſſunt; unde θέσιν τῶν μορίων, *partium poſitionem habet*. Dicitur MAGNITUDO; eſtque triplex, LINEA, SUPERFICIES & CORPUS.

LI-

LINEA (γραμμή) est magnitudo longa non lata aut profunda, cujus partes puncto copulantur: ut, *ulna*, *stadium* *milliare*, &c.

SUPERFICIES (ἐπιφάνεια) est magnitudo longa & lata, non profunda; cujus partes *Lineâ* copulantur: ut, *Jugerum* &c.

CORPUS (σῶμα) est magnitudo longa lata & profunda; cujus partes *superficie* copulantur: ut, *Cubus*, *Sphæra*, &c.

Q. 3. Quomodo *Linea* & *Superficies* dicuntur *Termini communes*, cùm sint Species Magnitudinis, ac proinde *divisibiles*. R. Terminus communis est indivisibilis quoad propriam divisionem illius Quantitatis, cujus est Terminus (quicquid sit de aliis) & sic *Linea* quoad *Latitudinem* & *Superficies* quoad *profunditatem* est indivisibilis & Terminus communis, illa Superficiei, hæc Corporis. Licet quoad *Longitudinem* illa; quoad *Longitudinem* & *Latitudinem* hæc sit divisibilis & species Magnitudinis.

Q. 4. Quomodo *Corpus* numeratur inter species *Magnitudinis*; cùm ante positum fuerit in prædicamento *Substantiæ*; & priùs dictum sit illud non poni *directè* in ullo Prædicamento? R. Corpus tria significat 1. Partem Compositi naturalis; quomodo *Hominem* ex *Corpore* & *Animâ* constare dicimus; & sic *directè* ponitur in nullo

nullo Prædicamento. 2. Integrum Compositum naturale; quomodo dicimus *Hominem esse Corpus*, *i.e.* Substantiam Corpoream. Et sic ponitur in Prædicamento Substantiæ. 3. Quantitatem tres dimensiones habentem, quæ *Corpulentia* vel *Crassities* dici potest; quomodo hoc loco accipitur.

Quantitas *Successiva* est, cujus omnes partes simul existere non possunt: ut, *Hora, dies, annus*, &c. Dicitur TEMPUS, cujus communis Terminus est *Instans* sive τὸ νῦν.

Quantitas DISCRETA (τὸ ποσὸν διωρισμένον) est, quæ habet partes nullo communi Termino copulatas. Estque NUMERUS, & (secundùm Veteres) ORATIO.

NUMERUS (ἀριθμός) est Quantitas discreta permanens: ut, *Binarius*, *Ternarius*, &c.

ORATIO (λόγος) est Quantitas discreta successiva: ut, hæ voces prolatæ, *Socrates ambulat.*

Proprietates Quantitatis sunt tres.

1. Τῷ ποσῷ οὐδὲν ἐστιν ἐναντίον. Quanto nihil est contrarium, *i. e.* una Quantitas non est alteri contraria per se: ut, *Linea lineæ* vel *superficiei*, &c. quia non habent vim se mutuò expellendi ab eodem subjecto. Nam *Quantitas nihil agit.* Per Accidens verò una potest esse alteri contraria: ut, *Superficies alba nigræ*; *Arist. ibid.*

2. Ob

2. Οὐ δοκεῖ τὸ ποσὸν ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον.
Non videtur Quantum *suscipere magis & minùs*, *i. e.* Concreta Quantitatis non prædicantur cum adverbiis *magis* & *minùs*: ut, *Unum bicubitum non dicitur alio magis vel minùs bicubitum.*

3. Ἴδιον μάλιστα τοῦ ποσοῦ τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι.
Maximè proprium Quanti est, *æquale* & *inæquale* dici. Quia solæ Quantitates per se; alia verò ratione Quantitatum dicuntur *æqualia* aut *inæqualia*: ut, *Linea pedalis pedali per se*; at, *Lignum ligno ratione longitudinis vel latitudinis*, &c. *est æquale.*

QUANTITAS
- Continua
  - Permanens
    - LINEA.
    - SUPERFICIES.
    - CORPUS.
  - Successiva
    - TEMPUS.
- Discreta
  - NUMERUS.
  - ORATIO.

De Prædicamento QUALITATIS.

ΠΟΙΟ'ΤΗΣ ἐςὶ, καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται, *Arist.*
QUALITAS est, secundùm quam qua- *Categ.*
les quidam esse dicuntur: ut, *Albedo*, à *c.* 8.
qua homo albus; *Justitia*, à qua justus &c. dicitur. Post Copulam hìc intelligitur *Forma Accidentalis*. Unde Formæ Substantiales; ut *Anima*; & Differentiæ Substantiarum; ut *Rationale*, &c. excluduntur.

Q. 1. Quid est *dici Quale?* R. Est denominari in Concreto, quo aptè respondetur quæstioni factæ per *quale tantùm*: ut, ab albedine paries dicitur *albus*. Nam si quæratur, *Qualis est paries?* respondetur, *Est albus*.

Q. 2. Cur dicis *quæstioni factæ per quale tantùm?* R. ut excludantur cæteræ Formæ Accidentales, per quas respondetur quæstioni factæ per Quale; sed non tantùm: ut, non tantùm quærenti *Quale*, sed (& magis propriè) *Quantum est lignum?* respondetur, *Est pedale*.

Qualitas est quadruplex, *Habitus* & *Dispositio*; *Naturalis Potentia* & *Impotentia*; *Patibilis Qualitas* & *Passio*; *Forma* & *Figura*.

I. Habitus (ἕξις) est qualitas adventitia, diu permanens, qua Subjectum ejus promptum redditur ad operandum: ut, *Habitus*

bitus citharizandi; *Scientia*, *Virtut*, &c.

Q. 3. Cur dicitur *Qualitas adventitia*? R. Quia non fluit ab essentia Subjecti (per quod distinguitur à *naturali Potentia*) sed vel à Deo infunditur; ut, Habitus supernaturales; *Fides*, *Spes*, *Charitas* &c. qui propterea vocantur *Habitus infusi*; vel crebris actionibus (*i.e.* actuum similium frequenti repetitione) acquiritur: ut, Habitus naturales, *Artes*, *Scientiæ*, &c. qui idcirco vocantur *Habitus acquisiti*.

Q. 4. Cur dicitur *diu permanens*? R. ut distinguatur à DISPOSITIONE, quæ est Habitus imperfectus. Si enim qualitas sit difficulter mobilis à Subjecto; ut, *Intemperantia longo usu confirmata*, dicitur HABITUS. Sin facilè mobilis sit, est διάθεσις DISPOSITIO.

II. POTENTIA NATURALIS (δύναμις φυσικὴ) est qualitas à naturâ insita, qua Subjectum redditur aptum ad aliquid agendum aut patiendum. Unde est duplex sc. Activa; ut, *Vis calefaciendi in igne*; & Passiva; ut, *Vis resistendi in ferro*. Si debilis sit & imperfecta, dicitur ἀδυναμία IMPOTENTIA: ut, *Obtusum ingenium*; *Labilis memoria*, &c.

III. PATIBILIS QUALITAS (παθητικὴ ποιότης) est diu permanens qualitas unico sensu

exte-

exteriori perceptibilis, aut appetitûs affectio: ut, *Albedo*, *dulcedo*, &c. *Ira*, *odium*, &c.

Q. 5. Quid hîc vocatur *appetitûs affectio?* R. Est appetitûs commotio ex vehementi apprehensione orta: ut, *Ira*, *Odium*, *Tristitia*, &c.

Q. 6. Cur dicitur *diu permanens?* R. Quia si citò transeat dicitur πάθος PASSIO: ut, *Rubor ex verecundia*; *Pallor ex metu ortus*.

IV. FORMA (μορφή) est qualitas resultans ex terminatione quantitatis in re naturali spectatæ: ut, *Forma externa hominis*, *leonis*, &c.

Q. 7. Cur dicis, *in re naturali spectatæ?* R. Quia qualitas resultans ex terminatione quantitatis in se spectatæ dicitur σχῆμα, FIGURA, ut, *Circulus*, *Triangulum*, &c.

Proprietates Qualitatis sunt tres.

1. Ὑπάρχει ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν. *Contrarietas* inest Qualitati, *i. e.* una Qualitas est alteri contraria per se: ut, *Albedo nigredini*; *Virtus vitio*, &c. Hæc proprietas soli Qualitati convenit, sed non omni, maximè secundæ & quartæ speciei; ut nec aliquibus primæ & tertiæ: ut, *Habitui Citharizandi*, *Luci*, *Mediis coloribus*, &c. quibus *Privationes* suæ opponuntur; nil autem *Contrariè*.

2. Ἐπι-

2. Ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά. Qualia recipiunt *magis* & *minùs* : ut, *unum album dicitur magis album quàm alterum.* Quia Qualitates habent *Gradus Intentionis*, è quibus eadem pars Subjecti plures vel pauciores recipere potest : ut, *eadem pars aquæ potest nunc plus caloris*, seu plures ejus gradus habere, & tunc dicitur *magis calida : nunc minus caloris* seu *pauciores ejus gradus*, & dicitur *minus calida.* Et hoc est propriè *suscipere magis & minùs*, seu *intendi & remitti*; quod non convenit omni Qualitati; ut, *Figuræ.* Nam *idem Triangulum non potest esse nunc magis, nunc minùs (nec alterо magis aut minùs) Triangulum*; sed tantùm majus aut minus, &c.

Arist: ibid.

3. Ὅμοια ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται. *Similia* aut *dissimilia* secundùm solas Qualitates dicuntur: ut, *Parietes albi sunt similes ratione albedinum*; *niger & albus dissimiles ratione diversarum qualitatum.*

QUA-

nuit illum) est Fundamentum Paternitatis.

4. *Relatio* est respectus Subjecti ad Terminum: ut *Paternitas*, quæ est respectus An-


Corporis
CITHARIZA
SALTANDI
LOQUENDI
Acquisitus
Intellectualis
Certus
Spec
Pra
Incertus-
Animæ
HABITUS
Moralis
Vitus--
Vitium,
Infusus
FIDES.
SPES.
CHARITAS.
Inanimatarum
Activa: ut VIS
CALEFACIE
FRIGEFACI
ATTRAHEN
Passiva: ut---
DUCTILITA
FRANGIBIL
FUSILITAS
POTENTIA NATURALIS rerum
Viventium: ut FACULTAS
NUTRITIVA
AUGMENT
GENERATI
Animatarum
Sentientium: ut
SENSITIVA sive SENSUS
LOCOMOTI

CITHARIZANDI in manu.
SALTANDI in pede.
LOQUENDI in linguâ, &c.

Certus — Speculativus — INTELLIGENTIA. SCIENTIA. SAPIENTIA.
Certus — Practicus — PRUDENTIA. ARS.
Incertus — ERROR, SUSPICIO. OPINIO. FIDES humana.

Virtus — TEMPERANTIA. FORTITUDO. LIBERALITAS, &c.
Vitium, in Excessu — INTEMPERANTIA. AUDACIA. PRODIGALITAS, &c.
Vitium, in Defectu — STUPIDITAS. TIMIDITAS. AVARITIA, &c.

DES.
S.
ARITAS.
LEFACIENDI in igne.
GEFACIENDI in aquâ.
TRAHENDI FERRUM in magnete, &c.
CTILITAS in auro.
NGIBILITAS in vitro.
LITAS in plumbo, &c.
RITIVA.
MENTATIVA.
ERATIVA.

ITIVA
ENSUS
— Externus — VISUS. AUDITUS. OLFACTUS. GUSTUS. TACTUS.
— Internus — SENSUS COMMUNIS. PHANTASIA. MEMORIA.

MOTIVA.

GENERATIV

URALIS rerum

Animatarum

Sentientium: ut
- SENSITIVA sive SENSUS
- LOCOMOTIV
- APPETITIVA

Intelligentium: ut
- INTELLECT
- VOLUNTAS.

PATIBILIS QUALITAS.

QUALITAS.

Visibilis
- LUMEN
- COLOR
  - Extremus
    - ALB
    - NIGI
  - Medius---
    - RUB
    - FLAV

Audibilis: ut SONUS----
- Inarticulatus
  - Non V
  - Vivent
- Articulatus: ut VOCES HUMAN

Olfactibilis: ut ODOR----
- SUAVIS.
- MOLESTUS seu

Gustabilis: ut SAPOR---
- Extremus
  - DULC
  - AMAI
- Medius--
  - ACIDI
  - DURU
  - TARD

TActilis------
- Motiva---
  - GRAV
  - LEVIT
- Alterativa
  - Prima -
  - Secund

Linea est-----
- RECTA.
- CURVA-
  - CIRCU
  - ELLIP
  - PARAB
  - HYPEI
  - SPIRA

ERATIVA. AUDITUS.
Externus OLFACTUS.
ITIVA GUSTUS.
ENSUS TACTUS.
Internus- SENSUS COMMUNIS.
PHANTASIA.
MEMORIA.

MOTIVA.
TITIVA.
LLECTUS.
NTAS.
ALBEDO.
NIGREDO.
RUBEDO.
FLAVEDO, &c.

Non Viventium : ut TYMPANI.
BOMBARDÆ explosæ, &c.
Viventium: ut RUGITUS leonis.
HINNITUS equi.
BARRITUS elephanti.
RISUS hominis, &c.
s: ut
UMANÆ.

US seu fætidus &c.
DULCIS.
AMARUS.
ACIDUS seu Asper.
DURUS.
TARDUS, &c.
GRAVITAS.
LEVITAS.

Prima —— CALOR.
FRIGUS.
HUMIDITAS.
SICCITAS.
Secunda---- MOLLITIES. DURITIES.
LÆVITAS. ASPERITAS.
ARIDITAS. LUBRICITAS. (&c.

CIRCULARIS.
ELLIPTICA.
PARABOLICA.
HYPERBOLICA.
SPIRALIS.

FIGURA, qua

Linea est ... CURVA- PAR...
HYP...
SPIR...
HEL...

INFLEXA ex-...

Superficies est --- PLANA Rotun...
Angu...

GIBBA SPHA...
OVA...
LEN...
SPIR...
COC...
CON...
PAR...
HYP...
CYL...
CAL...

INFRA-CTA, ex PLAN...
GIBB...
PLAN...

Corpus est Orbiculare Uniforme: ut GLOBUS seu SPHÆRA.
OVUM.
LENS.
CONCHA.
COCHLEA.
SPIRA.

Varium: ut HEMISPHÆRIUM.
PARABOLICUM.
HYPERBOLICUM.
CONUS.
CYLINDRUS.
CALATHUS.

PYRA...

PARABOLICA.
HYPERBOLICA:
SPIRALIS.
HELICA.

A ex----- duabus--- RECTIS CURVIS constans.
RECTA & CURVA

Rotunda: Simplex: ut CIRCULUS, ELLIPSIS.
Dentata.
Angularis: Rectilinea, Curvilinea, Mixta: ut TRIANGULUM. QUADRANGULUM, &c.

SPHÆRICA
OVALIS
LENTICULARIS
SPIRALIS
COCHLEARIS
CONICA
PARABOLICA
HYPERBOLICA
CYLINDRIACA
CALATHOIDES

Concava
Convexa

x PLANIS——— GIBBIS——— PLANIS & GIBBIS Superficiebus constans.

S
ÆRA.

A.
EA.

HÆ-

OLI- Erectum

BOLI-

ORUS.
HUS. Retortum

Quæ omnia spectantur in

Naturalibus

Inanimatis. TERRIS. LAPIDIBUS, &c,

Animatis

Plantis: ut QUERCU. POMO. PYRO, &c.

Animalibus

Brutis: ut EQUO. LEONE. BOVE, &c.

Homini SOCRATE. PLATO-

FIGURA, qua

- Superficies est --- GIBBA
  - LEN…
  - SPIR…
  - COC…
  - CON…
  - PAR…
  - HYP…
  - CYL…
  - CAL…
- INFRACTA, ex
  - PLAN…
  - GIBB…
  - PLAN…
- Corpus est
  - Orbiculare
    - Uniforme: ut
      - GLOBUS seu SPHÆRA.
      - OVUM.
      - LENS.
      - CONCHA.
      - COCHLEA.
      - SPIRA.
    - Varium: ut
      - HEMISPHÆRIUM.
      - PARABOLICUM.
      - HYPERBOLICUM.
      - CONUS.
      - CYLINDRUS.
      - CALATHUS.
  - Angulosum è Superficiebus
    - Planis
      - Regulare: ut
        - PYRAMIS
        - CUBUS
        - OCTOEDR…
        - DODECAE…
        - EICOSAED…
      - Irregulare: ut
        - PRISMA
        - PENTAEDR…
        - HEPTAEDR…
    - Gibbis, ut
      - SILIQUA
      - PSITTA, &c.

LENTICULARIS
SPIRALIS
COCHLEARIS
CONICA
PARABOLICA
HYPERBOLICA
CYLINDRIACA
CALATHOIDES

Concava

Convexa

PLANIS
GIBBIS
PLANIS & GIBBIS

Superficiebus constans.

S
ÆRA.

A.
EA.

HÆ-

OLI-
OLI-

Erectum

RUS.
HUS.

Retortum

AMIS
US
TOEDRUM
DECAEDRUM
OSAEDRUM
SMA
TAEDRUM
TAEDRUM &c.
QUA
TA, &c.

Quæ omnia spectantur in rebus

Naturalibus

Inanimatis.
TERRIS.
LAPIDIBUS,
&c,

Animatis

Plantis: ut
QUERCU.
POMO.
PYRO, &c.

Animalibus

Brutis: ut
EQUO.
LEONE.
BOVE, &c.

Hominibus: ut
SOCRATE.
PLATONE.
ARISTOTELE, &c.

Artificialibus: ut
HOROLOGIO.
SCAMNO.
DOMO. &c.

Pars

De

Q. 1.

1.

2.

3.

4.

De Prædicamento RELATIONIS.

Ἔςι ΤΑ' ΠΡΟ'Σ Τ'Ι, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐςι τῷ πρός τι πως ἔχειν. RELATA ſunt, quorum eſſe eſt ad aliquid quodammodo ſe habere, *h. e.* quorum tota eſſentia conſiſtit in reſpectu ad aliud : ut, *Pater*, *Filius*, &c. Nam *Pater* deſignat tantùm Reſpectum generantis ad genitum ; & *Filius* è contra. Dicuntur etiam RELATIVA. *Ariſt. Cat.c.7. ſect. 24.*

Q. 1. Quot in Relativis conſideranda ſunt? *R.* ſex, ſc. *Subjectum*, *Terminus*, *Fundamentum*, *Relatio ipſa*, *Relatum* & *Correlatum*.

1. *Subjectum* eſt id, quod refertur ad aliud : ut, *Anchiſes* (qui ad Æneam refertur ; ut Pater ejus) eſt Subjectum Paternitatis.

2. *Terminus* eſt id, ad quod Subjectum refertur : ut, *Æneas* (ad quem Anchiſes refertur, ut Pater) eſt Terminus Paternitatis.

3. *Fundamentum* eſt id, quo mediante Subjectum refertur ad Terminum : ut, *Generatio* (quo mediante Anchiſes ad Æneam refertur, ut Pater ; nempe quia genuit illum) eſt Fundamentum Paternitatis.

4. *Relatio* eſt reſpectus Subjecti ad Terminum : ut *Paternitas*, quæ eſt reſpectus An-

Anchisæ ad Æneam.

5. *Relatum* est Subjectum cum Relatione: ut Anchises cum Paternitate spectatus, ut *Pater*, est Relatum.

6. *Correlatum* est Terminus cum Relatione opposita: ut, Æneas cum Filiatione spectatus, ut *Filius*, est Correlatum.

Relatum & Correlatum mutuis Relationibus se respiciunt; unde quod est Subjectum & Relatum respectu unius, est Terminus & Correlatum respectu alterius Relationis; & contra: ut, *Anchises*, qui est Subjectum, & *Pater* Relatum, respectu *Paternitatis*, sunt *Terminus* & *Correlatum* respectu *Filiationis*; sicut *Æneas* & *Filius*, qui sunt *Terminus* & *Correlatum* respectu *Paternitatis*, sunt *Subjectum* & *Relatum* respectu *Filiationis*.

Q. 2. Quomodo *Relativa* & *Correlativa* differunt? R. RELATIVA dicuntur, quæ referuntur ad aliud: ut, *Pater*, *Dominus*, &c. CORRELATIVA quæ ad invicem: ut, *Pater* & *Filius*; *Dominus* & *Servus*, &c.

Relata sunt *Synonyma* seu ÆQUIPARANTIÆ, & Heteronyma seu DISQUIPARANTIÆ.

Relata *Synonyma* seu ÆQUIPARANTIÆ sunt, quæ referuntur ad Correlata ejusdem nominis: ut, *Amicus*, *Simile*, *Æquale*, &c. nam Amicus amico, Simile simili, *&c.* refertur.

Re-

Relata *Heteronyma* seu DISQUIPARANTIÆ sunt, quæ referuntur ad Correlata diversi nominis: ut, *Dominus* & *Servus*; *Pater* & *Filius*, &c. Nam Dominus Servo, non Domino; & Pater Filio, non Patri, *&c.* refertur. Horum illud, quod rem significat digniorem, vocatur Relatum *Superpositionis*; ut, *Dominus*: alterum vero Relatum *Suppositionis*; ut, *Servus*.

Proprietates Relatorum sunt tres.

1. Πάντα τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται. Omnia Relata dicuntur ad ea, quæ *convertuntur*, *i. e.* omnia Relativa referuntur ad sua Correlativa: ut, *Pater est filii pater*; &, *Filius est patris filius*. Sed termini apti (*i. e.* æquè latè patentes) accipiendi sunt, ut fiat Reciprocatio; quibus si desint idonea vocabula, licet ὀνοματοποιεῖν, *i. e.* nomina fingere (inquit Arist.) quibus aptè reddantur: ut, *Ala* & *Avis* non sunt Correlativa (quia non omne, quod habet alas, est avis; ut Musca, vespa, *&c.*) sed *Ala* & *alatum*: ut, *Ala est alati ala*, &, *Alatum est alâ alatum*.

2. Δοκεῖ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι. Relata *simul Natura* esse videntur (sc. quatenus sunt Relata idque ad seinvicem, *i.e.* Correlativa) ut, *Dominus* & *Servus*, *Pater* & *Filius*, &c. qua tales, non qua homines; quia sic sunt Termini Absoluti; ut, nec *Dominus* & *Pater*; quia non sunt Correlativi.

3. Ἐὰν

3. Ἐάν τις εἰδῇ τι ὡρισμένως τῶν πρός τι, κἀκεῖνο, πρὸς ὃ λέγεται ὡρισμένως εἴσεται. Si quis unum Relatorum *definitè* cognoverit, etiam id, ad quod refertur, *definitè* cognoscet: ut, *Cognito Philippum esse patrem, cognoscitur illum habere filium*; vel, *Cognito Philippum esse patrem Alexandri, cognoscitur Alexandrum esse ejus filium.* Hinc Relata sunt *simul Cognitione*, (sc. qua Correlativa.)

- RELATA
  - Æquiparantiæ *quorum fundamentum est.*
    - *Substantia, ut*
      - Eadem.
      - Diversa.
    - *Quantitas, ut*
      - Æqualia.
      - inæqualia.
    - *Qualitas, ut*
      - Similia.
      - Dissimilia.
    - *Relatio, ut, &c.*
      - Proportionalia.
      - Duo Patres.
      - Duo Principes.
      - Duo Domini.
      - Concives.
      - Conservi, &c.
  - Disquiparantiæ.
    - *Superpositionis, ut*
      - Causa ----
        - Materialis.
        - Formalis.
        - Efficiens.
        - Finalis.
      - Princeps.
      - Dominus.
      - Pater.
      - Maritus, &c.
    - *Suppositionis, ut*
      - Causatum
        - Materiatum.
        - Formatum.
        - Effectum.
        - Medium.
      - Subditus.
      - Servus.
      - Filius.
      - Uxor, &c.

De Prædicamento ACTIONIS *&* PASSIONIS.

ACTIO (τὸ ποιεῖν) est Forma, à quâ quidpiam dicitur agere, i. e. efficere aliquid: ut, *Calefactio*, per quam ignis dicitur calefacere lignum, i. e. calorem in ligno producere.

PASSIO (τὸ πάσχειν) est Forma, à quâ quidpiam dicitur pati, i. e. effectum agentis recipere: ut, *Calefactio*, per quam lignum dicitur calefieri ab igne, i. e. calorem ab igne recipere. Unde *Actio* & *Passio* non tam sunt diversæ res, quàm Modi diversi ejusdem rei. Idem enim Motus, prout fluit ab Agente, dicitur *Actio*, & prout recipitur in Patiens, *Passio*: ut, *Calefactio*, quatenus ab igne fluit, est *Actio*, & quatenus in lignum recipitur, est *Passio*.

Actio est *Immanens* vel *Transiens*.

Actio *Immanens* est, quæ manet in Agente: ut, *Intellectio*, quæ manet in intellectu.

Actio *Transiens* est, quæ transit in aliud: ut, *Calefactio*, quæ transit ab igne in lignum. Unde in Actione Immanente Agens & Patiens sunt idem; in Transeunte realiter diversa.

℞. 1. An cuilibet *Actioni* respondet *Passio?* R. Ita; juxta Regulam, *Actio ex se infert Passionem*. Proinde, Actioni Immanenti *Passio Intentionalis*; Transeunti autem *Transmutativa Passio* respondet: quatenus ista realem aliquam mutationem in Pa-

tiens introducit; illa verò nullam.

Q. 2. Quomodo Actionis & Passionis *Abstracta* distinguuntur? R. Per voces *Activa* & *Passiva*, quæ (distinctionis gratiâ) illis addi solent: ut, *Calefactio activa*, *Calefactio passiva*, &c. Concreta verò ex seipsis facilè distinguuntur: ut, *Calefacere*, *Calefieri*, &c.


Proprietates Actionis & Passionis sunt duæ.

1. Ἐπιδέχεται τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ἐναντιότητα. Actio & Passio suscipiunt *Contrarietatem* i. e. Actio potest esse contraria Actioni & Passio Passioni: ut, *Calefactio Frigefactioni*.


2. Ἐπιδέχεται τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν. Actio & Passio suscipiunt *magis* & *minus*, i. e. Concreta Actionis & Passionis quædam prædicari possunt cum adverbiis magis & minus: ut, *unum Agens dicitur magis agere*, *calefacere*, *frigefacere*, *&c. & unum Patiens magis pati*, *calefieri*, *frigefieri*, *&c. quàm aliud*. Neutra harum proprietatum Actioni & Passioni per se convenit, sed gratiâ Terminorum seu qualitatum, quæ per illas producuntur aut recipiuntur: ut, *Calefactio Frigefactioni* contraria est, quia *calor frigori* contrariatur; & unum calefaciens alio *magis calefacere* dicitur, quia passum *magis calidum* reddit, *majorem* in illo producendo *calorem*. Absolutè tamen illis tribuuntur, quia illarum nominibus ex-

muntur

primuntur, cum à qualitatibus contrariis, & magis ac minùs recipientibus, nomina sortiantur. Unde nec omnibus conveniunt, sed iis tantùm, quarum Termini sunt contrarii, & Intensionem ac Remissionem recipiunt. Itaque, *Generare*, *Figurare*, &c. sicut illarum Termini *Substantia*, *Figura* &c. non habent contraria, nec magis & minus recipiunt.



ACTIO
Immanens.
Sensitiva
Sensatio
Externa.
Visio.
Auditio.
Olfactio.
Gustatio.
Tactio.
Interna.
Æstimatio.
Imaginatio.
Recordatio.
Appetitio, circa
Bonum
Amor.
Letitia.
Desiderium.
Spes
Audacia.
Malum.
Odium.
Tristitia.
Fuga seu aversatio.
Desperatio
Timor.
Ira.
Rationalis
Intellectus
Apprehensio.
judicium
Enunciativum.
Discursivum.
Voluntaris
Volitio
Nolitio
finis
Voluntas
Intentio
Fruitio
mediorum
Consensus
Electio
Usus.
Transiens.
Substantialis.
Creatio. Conservatio
Generatio. Corruptio.
Nutritio.
Accidentaliter terminata ad.
Quantitatem
Accretio
Decretio
seu
Augmentatio.
Diminutio.
Qualitatem. Alteratio
Calefactio.
Frigefactio. &c
Locum, Latio seu motus localis
Naturalis
Simplex.
Circularis: ut motus Cælorum.
Rectus.
Sursum: ut ignis et aeris.
Deorsum ut aquæ et terræ.
Mixtus: ut Locomotio seu motus progressivus animalium.
Violentus
Pulsio.
Percussio.
Jaculatio.
Protrusio.
Tractio: ut inspiratio
Vectio.
Vertigo.

UBI (τὸ ποῦ), est præsentia rei in loco: ut, *esse in Scholâ*, &c. quæ vocatur *præsentia localis*; estque Modus quidam, quo res fit præsens alicui loco, tam à re ipsa, quàm à loco ejus distinctus.



De Prædicamento QUANDO.

QUANDO (τὸ πότε) est existentia rei in tempore ut, *Fuisse heri*, *esse hodie*, &c. quæ vocatur *Præsentia Temporalis*; estque Modus quidam, quo res fit præsens alicui tempori, tam à re ipsâ, quàm à tempore ejus distinctus. Proinde *Quando* se habet ad Tempus, sicut *Ubi* ad Locum.



De Prædicamento SITUS.

SITUS (τὸ κεῖσθαι) est dispositio partium in toto in ordine ad locum: ut, *Stare*, *sedere*, *cubare*, &c. Nam suscipit aliquis has denominationes ex eo, quòd habeat partes corporis certâ ratione in loco dispositas; unde est specialis præsentia localis, ab Ubi differens, ut *Esse tali modo in loco*, differt ab *Esse in loco*.

SL

- SITUS
  - *Erectus*, Statio.
  - *Pronus*, Inclinatio.
    - *Totalis*, Prostratio
      - Supina.
      - Prona.
    - *partialis* curvatio In
      - Proclinatio.
      - Reclinatio.
      - Genuflexio.
      - Sessio, *&c.*

De Prædicamento HABITUS.

HABITUS (τὸ ἔχειν) est indumenti vel ornamenti ad corpus applicatio: ut, *esse tunicatum*, *coronatum*, &c. Habitus quinque modis accipitur. 1. Pro *re* quavis *habitâ* vel ejus *habitione*, & sic ad prædic. Relationis pertinet. 2. ut opponitur *Privationi*. 3. Pro primâ specie *Qualitatis*. 4. Pro *veste*, & sic directè in nullo prædicamento ponitur, quia est *Compositum per Accidens*. 5. Pro accommodatione vestis ad rem vestitam, quæ est *specialis ubicatio vestis*; nempe *Circumpositio*; estque acceptio hujus loci.

- HABITUS
  - Indumenti
    - *Civilis*. vestitum *esse*,
      - *Interne*: Interulatum, *&c.* Camisiatum — *esse*.
      - *Externè*: Palliatum, Togatum, Tunicatum, Pileatum, Calceatum, *&c.* — *esse*.
    - *Militaris*, Armatum *esse*, *sc.*: Loricatum, Paludatum, Galeatum, Peltatum, Hastatum, Gladiatum, *&c.* — *esse*.
  - Ornamenti. Annulatum, Coronatum, Mitratum, *&c.* — *esse*.

Atque hactenus de TERMINO SIMPLICI, adeoque de PRIMA PARTE Logicæ.

De

PARS II.

De ENUNCIATIONE.

Partes Enunciationis sunt NOMEN *&* VERBUM.

De NOMINE *&* VERBO.

Arist. de Interpr. c. 2.

ὌΝΟΜΑ ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν κεχωρισμένον. NOMEN est vox significativa ex instituto sine tempore, cujus nulla pars significat separata; ut *Homo, Candor,* &c.

Q. 1. *Quid est* significare ex instituto? *R. Est significare ex impositione liberâ & non naturaliter: ut, quod vox* Canis *significet animal latrans, potiùs quàm aliud quid, est ex merâ hominum voluntate & institutione, qui illam imprimis sic usurpare conspirârunt. Per hanc partē distinguitur* Nomen (1) *à vocibus inarticulatis, i.e. quæ literis & syllabis tanquam articulis non constant, adeo ut scribi non possint; ut,* Boatus, hinnitus, fletus, risus, *&c.* (*si pro sonis significatis, non pro vocibus significantibus sumantur*) *hæ enim naturaliter significant affectus.* (2) *ab articulatis, quæ aut nihil significant; ut,* Blitiri, Flostrus, nidro, *&c. aut res conceptas, sed naturaliter; ut,* Tantari, r, r, בקבוק, &c. *Reliquæ omnes significant, ut ad significandum sunt institutæ, adeoque ad placitum; ut patet,*

quis

quia vox eadem in diversis linguis aliquando diversa, quandoque idem, nonnunquam nihil, præterquam in una, significat; cùm quæ sunt naturalia, semper & apud omnes sint eadem.

Q. 2. *Quid est* significare sine tempore? R. *Est præter principale significatum nullam primariam temporis differentiam denotare, quæ sunt tres;* præsens, præteritum & futurum. *Unde voces istæ*, hora, dies, mensis, *&c. quæ principaliter significant tempus; & istæ*, præsens, præteritum, futurum, *ut &* hodiernum, hesternum, crastinum, *&c. quæ principaliter significant differentiam temporis; necnon* prandium, cœna, *&c. quæ præter principale significatum*, sc. *refectionem corporis, tempus aliquod*, meridiem *puta aut* vesperam, *implicant, quia primariam temporis differentiam non denotant, sine tempore significant, & sunt nomina.*

Q. 3. *Quare dicitur*, cujus nulla pars significat separata? R. *Ut excludatur Oratio: ut;* Homo albus, *cujus aliqua pars seorsim significat. Non tamen excluditur nomen compositum: ut*, Jusjurandum, Respublica, *&c. quorum partes aliquid per se singulæ significant, si sumantur ut integræ dictiones; nihil vero ut sunt partes unius compositæ; sed sunt instar syllabarum, quæ propriam significationem non habent.*

Arist. de Interpr. c. 3.

ῬΗ῀ΜΑ ἐςὶ τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς. καὶ ἔςιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον. VERBUM est, quod consignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim, estque semper nota eorum, quæ de alio dicuntur: ut, *Amo*, *habeo*, &c. *Ex definitione nominis hic addendum est*, Verbum esse vocem significativam ex instituto.

Q. 4. *Quid est* consignificare tempus? *R. Est significare cum tempore*, i. e. *præter principale significatum aliquam primariam temporis differentiam denotare: ut*, amo, *quod præter amorem quem principaliter significat, tempus præsens denotat. Per hanc partem excluditur Nomen.*

Q. 5. *Quid est*, Verbum esse semper notam eorum, quæ de alio dicuntur? *R. Est Verbum semper denotare aliquid subjecto attribui*, *seu esse prædicatum*, *vel* Formaliter *tantum: ut hic*, Homo est animal; *Vel* Formale & Materiale *simul*, *si sit verbum adjectivum Copulam includens: ut*, Joannes ambulat; *idque cum ponitur significativè*, i. e. *pro re significatâ*, *non pro voce significante. Nam tunc potest esse subjectum*; *ut*, Amo est verbum.

Nomen & Verbum in Finitum *&* Infinitum, *item in* Rectum *&* Obliquum *dividuntur.*

Nomen & Verbum Finitum *est*, *cui nulla præfigitur negatio: ut*, Homo. Currit, &c.

&c. quod sic dicitur, quia certam & definitam habet significationem, nulli alii competentem. Infinitum *est, cui præfigitur negatio,* i. e. *particula negativa* non: *ut,* Non homo. Non currit, *&c. Dicitur* Infinitum, *quia indefinitam habet significationem, cuilibet alii, sive enti sive non enti, competentem.*

Nomen & Verbum Rectum *est vox nominativi casûs; vel indicativi modi ac præsentis temporis: ut,* Homo. Currit, *&c. Reliqua vocantur* Casus Nominum *ac* Verborum: *ut,* Hominis, Homine. Cucurrit, Curret, *&c. quæ à Nominis ac Verbi definitionibus sunt excludenda, quia non possunt absolvere* Ennunciationem, *cujus solius gratiâ de illis hic agitur. Nam vel verum & falsum non significant (v. Def. Enunc.) ut,* Hominis est. Socratem disputare, *&c. vel veritas Enunciationis, quam componunt, à veritate Enunciationis de præsenti dependet: ut, hæc est vera,* Aristoteles audivit Platonem, *quia hæc aliquando fuit vera,* Aristoteles audit Platonem.

De ORATIONE.

Ex *Nomine & Verbo fit* ORATIO.

ΛΟΓΟΣ ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην, ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, ὡς φάσις, ἀλλ᾽ οὐχ ὡς κατάφασις ἢ ἀπόφασις. Ibid. c. 4.

ORATIO est vox significativa ex instituto,

tuto, cujus aliqua pars separata signifi- cat ut dictio, sed non ut affirmatio vel negatio: ut, *Homo albus. Homo est animal*, &c.

Q. 1. *Quid est* significare ut dictio? R. Est *significare sine vero & falso: ut*, Homo, *&c. è contrà*, significare ut affirmatio vel negatio, *est significare cum vero aut falso: ut*, Homo est animal.

Q. 2. *Quare dicitur*, cujus aliqua pars significat, ut dictio, *non verò*, omnis? R. *Ne excluderetur Enunciatio composita: ut*, Homo est rationalis & brutum est irrationale, *cujus aliqua pars*, *sc.* Homo est rationalis, *significat ut affirmatio*, *& sic non omnis*, *sed aliqua tantùm*, *ut dictio: ut*, Homo. Rationalis, *&c.*

Oratio est *Imperfecta* vel *Perfecta*.

Oratio *Imperfecta* est, quæ imperfectum sensum gignit in animo audientis: ut, *Homo albus. Perfecta*, quæ perfectum: ut, *Homo est animal.* Estque *non Enunciativa* vel *Enunciativa*.

Oratio perfecta *non Enunciativa* est, in qua nec est verum nec falsum. Estque quintuplex; sc. Interrogativa: ut, *Est aliquid, quo tendis?* Vocativa: ut, *Huc ades, ô Melibœe*, Imperativa: ut, *Maturate fugam.* Deprecativa: ut, *Aspice nos.* Et Optativa: ut, *Utinam evadam Philosophus. Hæ ad* Rhetoricam *vel* Poeticam *propriè pertinent*; *sola Enunciativa est hujus loci.* De

De ENUNCIATIONE.

Ἀπόφανσίς ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει. ENUNCIATIO est Oratio, quæ verum vel falſum ſignificat; ut, *Homo eſt rationalis. Homo non eſt rationalis. Verum ſignificat*, quæ eſt conformis rei ſignificatæ; ſive quæ dicit id eſſe, quod eſt, & non eſſe, quod non eſt: ut, *Homo eſt rationalis. Vitium non eſt amandum*; & dicitur *Enunciatio vera. Falſum*, quæ eſt difformis rei ſignificatæ; ſive, quæ dicit id eſſe, quod non eſt, vel non eſſe, quod eſt; ut, *Vitium eſt amandum. Homo non eſt rationalis*; & dicitur *Enunciatio falſa*. *Ibid. Sect. 5.*

Q. 1. Unde pendet *Veritas* & *Falſitas* Enunciationis? R. Ex habitudine vel connexione partium, quæ dicitur ejus *Materia*; eſtque triplex,

1. *Neceſſaria* ſeu naturalis, quæ non poteſt aliter eſſe; ut in hâc, *Homo eſt animal.*
2. *Impoſſibilis*, quæ non poteſt ita eſſe: ut, *Homo eſt irrationalis.*
3. *Contingens*, quæ poteſt ita eſſe vel non eſſe: ut, *Homo eſt doctus.*

Q. 2. Quomodo *Propoſitio* differt ab Enunciatione? R. *Propoſitio* propriè eſt prima Syllogiſmi Enunciatio; uſus tamen

jam

jam obtinuit, ut pro quâlibet Enunc- etiam extra Syllogismum positâ (quia primas in illo tenere apta est) usurpetur.

Enunciatio consideratur *Absolutè*, vel *pro- ut restringitur ad certam materiam.*

Enunciatio absolutè consideratur quoad ejus *Divisiones* & *Affectiones*.

Divisio Enunciationis est triplex, sc. secundùm *Substantiam*, *Qualitatem* & *Quantitatem*; quibus triplex aptatur Quæstio, *Quæ? Qualis? Quanta?* hoc versiculo comprehensa,

Quæ? Ca: vel Hyp. *Qualis?* Ne: vel Aff. Un: *Quanta?* Par: Ind: sing.

PRIMA DIVISIO

I. Quoad *Substantiam* Enunciatio est *Simplex* vel *Composita*; seu CATEGORICA vel HYPOTHETICA latè dicta.

Ibid: c. 5. sect. 5. Ἀπόφανσις ἁπλῆ ἐστιν, ἤ τι κατά τινος, ἤ τι ἀπό τινος [ἀποφαίνεται.] Enunciatio *Simplex* (seu CATEGORICA) est, quæ aliquid de aliquo; vel aliquid ab aliquo [enunciat.] *i. e.* quæ unum prædicatum de uno subjecto affirmat vel negat: ut, *Homo est animal. Terra non movetur.* Estque *Pura* vel *Modalis*.

Enunciatio PURA est, in qua prædicatum purè affirmatur vel negatur de subjecto *i. e.* simpliciter dicitur inesse aut non inesse; modo inessendi non expresso (unde & *Propositio de inesse* vocatur): ut, *Homo est animal.*

Enun-

Enunciatio MODALIS est, in qua Modus convenientiæ prædicati cum Subjecto exprimitur: ut, *Necesse est hominem esse animal.* Modi illi sunt quatuor; sc. *Necesse*, *Impossibile*, *Contingens*, & *Possibile*, qui quadruplicem constituunt propositionem Modalem, in quâ *Modus* est prædicatum, reliqua pars (*Dictum* appellata) est Subjectum: ut, *Hominem esse animal est necesse*, *Hominem esse irrationalem est impossibile.* *Fodientem agrum invenire thesaurum est contingens.* *Petrum esse doctum est possibile.*

Q. 3. Quænam huc revocantur? R. Propositiones EXPONIBILES, quæ sunt triplices. 1. *Exclusiva* sive ex parte Subjecti: ut, *Solus probus est sapiens*, & dicitur *Exclusiva de Subjecto*; sive ex parte Prædicati: ut, *Elementa sunt tantùm quatuor*, & dicitur *Exclusiva de Prædicato*; sive ex parte utriusque: ut, *Sola species immediatè prædicatur de differentibus numero tantùm.* 2. *Exceptiva* similiter, vel ex parte Subjecti: ut, *Omne animal, præter hominem, est irrationale*; vel ex parte Prædicati: ut, *Diluvium absorpsit omnes homines, præter Noachum cum familiâ suâ.* 3. *Restrictiva* seu *Reduplicativa*, sive uniformis sit Reduplicatio & secundùm idem nomen, quæ *Specificativa* dicitur: ut,

Homo,

Homo, qua homo, est rationalis; sive Difformis & secundùm diversa; quæ simpliciter dicitur *Reduplicativa*: ut, *Homo, qua animal, sentit.*

Enunciatio *Composita*, seu HYPOTHETICA latè dicta, est, quæ pluribus Enunciationibus inter se copulatis constat. *Hypothetica* dicitur à præcipuâ ejus specie. Nam est triplex, sc. *Conditionalis*, *Copulativa* & *Disjunctiva*.

Enunciatio CONDITIONALIS (seu *Hypothetica* strictè dicta) est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Conditionali: ut, *Si Socrates est homo, est animal.* Quarum prior vocatur *Antecedens*; ut, *Si Socrates est homo*: posterior Consequens; ut, *Est animal.* In harum nexu (ut una ex alterâ sequatur) consistit *veritas* hujus Enunciationis, non in veritate alterius vel utriusque partis. Unde, *Si Socrates est lapis, est insensibilis*, vera est, ob necessariam Consequentis ex Antecedente Consecutionem, licet utraque pars sit falsa. Hinc Axioma, *Conditionalis nihil ponit in esse.* Hæc verò, *Si Socrates est homo, est Philosophus*, est falsa, licet utraque pars sit vera; quia nulla datur Consequentia, *i. e.* Connexio inter Antecedentem & Consequentem, ita ut hæc ex illa sequatur seu inferatur.

Q. 4. Quænam huc pertinent? R. Propositio *Causalis* seu *Rationalis*: ut, *Quia Sol lucet, dies est*; Cum hac solâ differentiâ, quod in Causali vera Antecedens & verum est, & Causa cur Consequens sit verum; quorum neutrum ad Conditionalem requiritur.

Enunciatio COPULATIVA est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Copulativâ: ut, *Homo est rationalis & brutum est irrationale. Nec brutum est nobilius homine, nec homo angelo.* Possunt autem partes ejus habere, vel idem Subjectum; ut, *Socrates est Philosophus & justus*; vel idem Prædicatum; ut, *Socrates & Aristides sunt justi*; vel utrumque diversum: ut, *Socrates est Philosophus, & Aristides est justus.* Estque tum demum *vera*, cùm omnes ejus Partes veræ sunt, *ut in præced. patet*: *falsa*, cùm aliqua pars est falsa, licet reliquæ sint veræ: ut, *Homo est animal rationale & volatile.* Ratio est, quia omnes partes per Copulativam simul astruuntur.

Q. 5. Quænam huc referuntur? R. Propositio *Adversativa* seu Discretiva: ut, *Quamvis Deus est misericors, est tamen justus.* Nam resolvitur in hanc, *Deus est misericors & est justus.* Item Relativa seu Comparativa; tum Rei; ut, *Socrates tam doctus est, quàm Plato*,

 huic

huic æqualens, *Socrates & Plato sunt æquè docti*; tum Loci; ut, *Ubi Socrates legit, Plato disputat*; tum Temporis; ut, *Dum Socrates legit, Plato disputat*; i. e. *Eodem loco vel tempore & Socrates legit & Plato disputat*; aut *Socrates legit & Plato simul disputat*.

Enunciatio DISJUNCTIVA est, cujus partes connectuntur conjunctione aliquâ Disjunctivâ: ut, *Aut dies aut nox est*. Ut vera sit Disjunctio, partes ejus debent esse *immediatè oppositæ*. Nam, si non sint *oppositæ*, erit *nugatoria*, vel potius nulla: ut, *Socrates est homo aut animal*; est enim utrumque. Et si non sint *immediatè oppositæ*, erit *falsa*: ut, *Pax est aut bellum*; nam possunt esse *Induciæ*. Unde Enunciatio Disjunctiva est *vera*, cujus aliqua pars vera est; *falsa*, cujus omnes sunt falsæ.

Nota, Enunciationes Hypotheticas modificari posse, ut & Modales fieri Hypotheticas: ut, *Necesse est, ut si homo est animal, sit vivens. Necesse est hominem esse rationalem & risibilem. Necesse est hominem esse rationalem aut irrationalem*, &c. Item, *Si necesse est hominem esse animal, necesse est illum esse sensitivum. Si necesse est hominem esse sensitivum, impossibile est eum esse incorporeum*, &c. *Aut necesse est hominem esse rationalem aut irrationalem. Aut necesse est Solem*,

aut

aut poſſibile eſt terram moveri. &c.

II. DIVISIO ENUNCIATIONIS.

II. Quoad *Qualitatem* Enunciatio eſt *Affirmativa* vel *Negativa.*

Κατάφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος. *Ariſt. de Int. c. 6.*

AFFIRMATIO eſt Enunciaito alicujus de aliquo. *i. e.* in qua prædicatum affirmatur de ſubjecto: ut, *Ariſtoteles eſt Philoſophus.*

Ἀπόφασίς ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος.

NEGATIO eſt Enunciatio alicujus ab aliquo, *i. e.* in qua prædicatum removetur à Subjecto: ut, *Vitium non eſt amandum.*

Utraque eſt *Finita* vel *Infinita.*

Enunciatio *Finita* eſt, quæ conſtat Subjecto & prædicato Finitis: ut. *Virtus eſt maximè appetenda.*

Enunciatio *Infinita* eſt, quæ conſtat ſubjecto, vel prædicato, vel utroque infinito. Subjecto: ut, *Non ens excluditur à prædicamentis.* Prædicato: ut, *Socrates fuit non avarus.* Utroque: ut, *Non animal eſt non homo.*

Q. 6. Quando eſt Enunciatio *Negativa*, & quando *Infinita?* R. Si particula negandi *non* in ſigno quantitatis aut in Modo includatur, ſive atque adeo toti Orationi, aut principali Copulæ (verbove adjectivo vim Copulæ ha-

benti) immediatè præponatur, Enunciatio tam Simplex quàm Composita, Pura & Modalis, *Negativa* erit, *nisi par Negationum numerus adsit*, *qui censetur affirmare (nam impares semper negant) aut ipsa Negatio vicem Termini sustineat in Enunciatione*; *ut hic*, Non est Terminus Syncategorematicus, *quæ est Affirm: Finita.* At si ponatur immediatè ante Subjectum aut Prædicatum, eorumve partem aliquam, erit *Infinita. Modi Affirm: sunt* Necesse *&* Contingens, *Negativi*, Impossibile *&* Possibile. *Idenim* Possibile *hic dicitur*, *quod nondum est*, *sed potest esse.*

Negativæ ergo Enunc: sunt hæ. 1. Particulâ negandi in signo modove inclusa, Pura. *Nullum vivens est lapis.* Modalis, *Impossibile est vivens esse lapidem* (nam æquivalet priori) Exponibilis, *Nullus homo est tantùm sensitivus.* &c. Hypothetica, *Nullus angelus est, aut albus aut niger*, &c. 2. Aut eis præpositâ, adeoque toti Orationi : ut, *Non omnis homo est sapiens* (huic enim æquivalet, *Aliquis homo non est sapiens*, quæ ad tertium membrum pertinet; sicut *nullus* in prioribus resolvi potest in *non ullus*; & ad hoc reduci) *Non possibile* (i. e. *Impossibile*) *est hominem esse irrationalem*, &c. *Non solus homo est animal. Non aliquod* (i. e. *nullum*) *animal præter* *ho-*

hominem est rationale, &c. *Non si Socrates est homo, est sapiens. Non aut pax est aut bellum.* &c. 3. Aut principali Copulæ: ut, *Lapis non est vivens. Quod est factum, non est æternum. Hominem esse doctum non est necesse. Sola corpora cœlestia non sunt corruptibilia.* &c. *Si Socrates est prudens, non est vitiis deditus. Petrus non est aut sapiens, aut stultus*, &c. Verbove adjectivo vim Copulæ habenti: ut, *Bruta non valent ratione. Brutum esse rationale non contingit* &c. *Plato disputat & ambulat.* &c. At hæc, *Nullus homo non est rationalis*, propter duas negationes, quarum prior negat posteriorem, eamque tollit, censetur *Affirmativa*: hæc verò, *non nullus homo non est doctus*, ob imparem Negationum numerum, est *Negativa*, huic æquivalens, *Aliquis homo non est doctus.*

Infinitæ sunt hæ. 1. Ex parte subjecti, *Quidam non doctus est justus. Omne animal non rationale est bestia. Quod non est factum, est æternum. Hominem non esse lapidem est necesse* (nam constat subjecto, nempe Dicto, negativo seu infinito; ac proinde formaliter, & ut Modalis, est *Infinita*: vulgo tamen pro *Negativâ* habetur, quia talis est virtualiter & quoad Dictum, quod est præcipuum in Enunc. Similiter & hæ, *Non tantùm homo est sensitivus. Omne animal, non præ-*

3. Quicquid deinceps sequitur, est *Differentia*.

Leges Definitionis sunt tres.

1. Definitum non ingrediatur suam Definitionem; *quia Definitio debet esse clarior Definito; idem verò non potest esse clarius seipso. Hinc Relativa*, Qui, Quæ, Quod *in Prop. Definitivis Copulæ immediatè postposita, non referunt* Definitum, *quia tunc ingrederetur suam Definitionem; sed* Genus Definiti, *quod subiicetur: ut in hac*, Genus est quod de pluribus &c. *relativum* quod *refert* universale, *ut sit sensus*, Genus est universale quod &c. *non ipsum* Genus; *aliàs esset* Genus est Genus, quod &c.
2. Definitio sit convertibilis cum Definito, i.e. *nec latior nec angustior eo; quia eadem est re cum Definito.* Hinc istæ Definitiones Hominis sunt vitiosæ, sc. *Corpus animatum sentiens. Animal literatum.*
3. Definitio nihil contineat superflui. i.e. *nihil præter ea, quæ necessaria sunt, ut sit convertibilis cum Definito; nisi fortè illa non essent satis clara; tunc quod explicandi causa additur, non erit superfluum.* Vitiosa ergo est ista Hominis Definitio, *Animal rationale bipes.*

Non opus est addere, Definitionem debere constare verbis propriis, perspicuis & ab ambiguitate alienis; *quia hoc per totam*

totam Logicam semper intelligendum est; cùm voces impropriæ & Metaphoricæ ad Rhetoricam & Poeticam *tantùm, non ad* Logicam *pertineant.*

DE DIVISIONE

DIVISIO est oratio totum in suas partes distribuens: ut, *Hominis partes sunt Corpus & Anima.* Totum, (ut *Homo,*) dicitur *Divisum*; Partes dicuntur *Membra dividentia* seu *Divisionis.* (*Idem de* Divisione & Enuntiatione Divisivâ *hîc intelligendum est, quod de* Definitione *antedictum fuit.*)

Divisio est *Nominis* vel *Rei.*

Divisio *Nominis* est, qua multiplex significatio Termini Æquivoci distinguitur: ut, *Canis significat Animal latrans, vel Sidus cæleste, vel Piscem.* Dicitur *Distinctio*; de qua est Regula, quòd

Omne ambiguum priùs Distinguendū est, quàm Definiendum, aut alio modo tractandum.

Divisio *Rei* est, qua res aliqua vel Terminus Univocus in suas partes distribuitur. Estque triplex, nempe Totius *Integralis, Essentialis* & *Universalis.*

Divisio *Totius Integralis* est, qua totum Integrale in partes Integrantes distribuitur: ut, *Homo* in *Caput, Truncum* & *Artus.* Partes *Integrantes* sunt quæ quantitate sua totius quantitatem integrant

& constituunt; & si ejusdem sunt naturæ, Totum vocatur *Homogeneum*: ut, *Aqua*: sin diversæ, *Heterogeneum*; ut, *Domus*, quatenus ex ligno, lapidibus &c. construitur. Hæc dici solet PARTITIO.

Divisio *Totius Essentialis* est, qua totum Essentiale in partes sibi Essentiales distribuitur. Dicitur RESOLUTIO. Estque Totius Essentialis *Physici* vel *Metaphysici* (seu *Logici*.)

Divisio *Totius Essentialis Physici* est, qua totum Essentiale Physicum in partes Essentiales Physicas (i. e. *Materiam* & *Formam*) distribuitur: ut, *Homo* in *Corpus* & *Animam*.

Divisio *Totius Essentialis Metaphysici* seu *Logici* est, qua totum Essentiale Metaphysicum seu Logicum in partes Essentiales Metaphysicas seu Logicas (sc. *Genus* & *Differentiam*) distribuitur: ut, *Homo* in *Animal* & *Rationale*. Hæc vocari quoque solet *Divisio Totius Formalis*, seu Definiti in partes Definientes; & à Definitione perfectâ haud differt.

Divisio *Totius universalis* est, quà magis commune in minùs communia distribuitur. Hæc DIVISIO propriè dicitur, Estque quadruplex.

1. Generis in species: ut, *Animal est Homo vel Brutum*. Huc revocatur Divisio *Speciei*

Speciei in Individua; *Differentiæ* in Species vel Individua; *Generis* per Differentias; & *Differentiæ* per Differentias.

2. Accidentis per Subjecta (cùm ſc. Diviſum eſt Accidens membrorum dividentium): ut, *Album eſt Lilium vel Nix* &c,

3. Subjecti per Accidentia (cùm Membra dividentia ſunt accidentia Diviſi): ut, *Homo eſt Probus vel Improbus.*

4. Accidentis per Accidentia (cùm Diviſum & Membra dividentia ſunt Accidentia ejuſdem ſubjecti): ut, *Dulce eſt Album vel Flavum*, &c.

His addi poteſt Diviſio *Cauſæ per Effecta*, & contra. Item Rei per *Objecta*, *Circumſtantias* &c. & contra.

Leges Diviſionis ſunt tres.

1. Diviſum plus contineat ſingulis Membris dividentibus; idem univerſis. Per part. 1. hæc Diviſio eſt vitioſa, *Animal eſt Senſitivum vel Homo vel Brutum*; quia *Senſitivum* (unum è membris) eſt convertibile cum Diviſo: Et per part. 2. iſta, *Vivens eſt Homo vel Brutum*; quia *Vivens* (Diviſum) latiùs patet utroque membro, *Plantam* etiam complectens.

2. Omnia Membra dividentia inter ſe pugnent. Unde inepta eſt iſta Diviſio, *Homo eſt Probus vel Literatus.*

3. Membra dividentia sint pauca. Malè ergo dividitur *Vivens in Hominem, Equum, Leonem, Quercum* &c. sed priùs in species maximè Communes, tum in alias inferiores dividendum est, donec ad id, quod quæritur, deveniatur: ut, *Vivens est Animal vel Planta. Animal est Homo vel Brutum*, &c. Hinc διχοτομίαι sunt laudatissimæ.

Hactenus de ENUNCIATIONE; adeoque de SECUNDA PARTE LOGICÆ.

PARS

PARS III.

DE
ARGUMENTATIONE.

Ex Enunciationibus fit ARGUMENTATIO.

ARGUMENTATIO est Oratio, in qua una Enunciatio ex alia vel aliis infertur: ut, *Homo est animal.* Ergo, *Homo est sensitivus.*

Q. Quot sunt *partes* Argumentationis? R. Tres, *Antecedens*, *Consequens* & *Nota illationis*.

Antecedens est Enunciatio (una vel plures) ex quâ alia infertur: ut, *Homo est animal*.

Consequens est Enunciatio, quæ ex alia (vel aliis) infertur, (sic dicta, quia consequitur ex Antecedente:) ut, *Homo est sensitivus*.

Nota Illationis est Conjunctio Consequentem ex Antecedente inferri significans: ut, *Ergo*. Illatio vocatur *Sequela*, *Consequentia*, *Consecutio* vel *Collectio*; quæ non est Antecedens, nec Consequens, sed Connexio Consequentis cum Antecedente. Sumitur tamen non ra-

rò *Consequentia* (cum reliquis) pro integrâ Argumentatione.

Argumentatio distinguitur in *Bonam* & *Vitiosam*.

Argumentatio *Bona* est, cujus Consequens legitimè infertur ex Antecedente: ut *in all. ex.* Et consideratur vel *absolutè & in se*, vel *Prout restringitur ad certam materiam*.

Argumentatio *absolutè* considerata est *Formalis* vel *Materialis*.

Argumentatio *Formalis* est, cùm in nullâ similis formæ dari potest Antecedens verum Consequente falso. Sunt autem Argumentationes *similis Formæ*, quæ constant æquè multis Terminis & Propositionibus, ejusdem Quantitatis & Qualitatis, eodemque ordine dispositis: ut,

Omne animal est vivens
Omnis homo est animal. ergo
Omnis homo est vivens
&
Omnis arbor est planta.
Omnis quercus est arbor. ergo
Omnis quercus est planta.

Quæ sunt Argumentationes Formales per Definitionem præced. & dicuntur *Formaliter veræ*. i. e. gratiâ Formæ, seu *Veritate Consequentiæ*.

Hæc Argumentatio vocatur SYLLOGISMUS.

De

De SYLLOGISMO.

ΣΥΛΛΟΓΙΣΜΟ'Σ ἐστὶ λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων, ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι. SYLLOGISMUS est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab iis, quæ posita sunt, necessariò accidit, eo quòd hæc sunt. i. e. in quâ ex duabus Enunciationibus ritè dispositis & concessis, altera eo ipso necessariò infertur, propter legitimam earum dispositionem: ut *in præced. Exempl.* *Arist. pr. An. l. 1. c. 1.*

Hujus *Principia* & *Species* consideranda sunt.

Principia Syllogismi sunt *Interna* vel *Externa*.

Principia *Interna* sunt, quæ in ipso Syllogismo continentur. Suntq; *Materialia* vel *Formalia*.

Principia *Materialia* sunt ex quibus, velut ex materiâ, construitur Syllogismus. Et sunt *Remota* vel *Propinqua*. Remota sunt *Termini*; Propinqua sunt *Propositiones*.

Q. 1. Quot sunt *Termini* in quovis Syllogismo? R. Tres, *Major*, *Minor* & *Medius*.

Major Terminus (τὸ μεῖζον ἄκρον, *majus extremum*) est, qui in Antecedente Syllogismi præstantiorem locum obtinet. i. e. est

est Prædicatum, cùm *Minor* est Subjectum; ut *in primâ figurâ*; vel (si in hoc sit paritas) qui pronunciatione præcedit; ut *in secundâ & tertiâ*; prout in propositis exemplis *Vivens*,&, *Planta*.

Minor Terminus (τὸ ἔλαττον ἄκρον, *minus extremum*) est, qui in Antecedente Syllogismi minùs præstantem locum obtinet: ut, *Homo*, &, *Quercus*.

Medius Terminus (τὸ μέσον, *medium*) est, qui in Antecedente Syllogismi bis ponitur; & vocatur etiam *Argumentum*: ut, *Animal*,&,*Arbor*.

Q. 2. Quare *Termini* Syllogismi istis nominibus appellantur? R. *Medium* sic vocatur, quia medio inter Extrema ponitur; non semper *Situ*; ut, in all. Exemp. at *officio*, illa inter se connectens; sicut enim se habent ad Medium, sic & inter se (*v. Principia dirigentia.*) *Extrema* verò dicuntur respectu Medii, vel etiam Quæstionis seu Propositionis probandæ, cujus sunt Extrema; *Minus* sc. est Subjectum, & *Majus*, Prædicatum. Et hoc quidem dicitur *Majus*, quia Prædicatum solet esse latius i. e. universalius Subjecto, cumque Medio primùm conjungi; sicut ob contrarias rationes alterum dicitur *Minus*.

Q. 3. Quot sunt *Propositiones* cujusvis Syllogismi? R. Tres, *Major*, *Minor* & *Conclusio*.

Major Propositio (ἡ πρότασις) est illa pars Antecedentis, in qua *Majus Extremum* ponitur: ut in 1. Ex. all. *O. animal est vivens.* A Cicerone (sicut ab Arist.) vocatur simpliciter *Propositio*; quia vulgò proponitur. i. e. primo loco ponitur.

Minor Propositio est illa pars Antecedentis, in qua *Minus Extremum* ponitur: ut, *O. homo est animal.* A Cicerone & aliis vocatur *Assumptio*; quia Propositioni assumitur, Hæ duæ Propositiones dici solent *Præmissæ*; quoniam præmittuntur Conclusioni.

Conclusio (τὸ Συμπέρασμα) est Propositio, quæ ex aliis infertur: ut, *O. homo est vivens.* Quæ, quando probanda proponitur, dicitur *Quæstio* vel *Problema*; quando ex Præmissis infertur, *Conclusio*; quia inde concluditur. Rhetoribus *Complexio*, quòd Extrema, cum Medio in Præmissis comparata, complectatur; unde ex illis satis constat.

Q. 4. An illa Propositio est *Major*, quæ *primo* loco ponitur? R. Ordinariè est; aliquando tamen Præmissæ transponuntur, ita ut primo loco *Minor*, secundo *Major* ponatur: ut hîc,

Homo est animal.
Rationale est homo. Ergo.
Rationale est animal.

Prin-

Principia *Formalia* sunt dispositiones quædam Principiorum Materialium. Suntque duo, unum Terminorum, *Figura*; alterum Propositionum, *Modus* dictum.

FIGURA (τὸ σχῆμα) est apta dispositio *Medii* cum Extremis secundùm Subjectionem & Prædicationem. Estque triplex pro triplice Medii dispositione. *Prima*, quando Medium est Subjectum in Majore & Prædicatum in Minore Propositione. *Secunda*, quando est Prædicatum in utrâque. *Tertia*, quando est Subjectum in utrâque, sc.

Sub Præ: *Prima*; bis Præ: *Secunda*; *Tertia* bis Sub.

MODUS est apta dispositio *Propositionum* secundùm Quantitatem & Qualitatem. (*Requiritur enim, ut Præmissæ certâ ratione affectæ sint, ad benè concludendum.*) Estque *Directus* vel *Indirectus*.

Modus *Directus* est, in quo Majus Extremum concluditur de Minore. *Indirectus*, in quo Minus de Majore. Idem de *Syllogismis* intelligendum est.

§. 5. Quot in universum sunt *Modi utiles*, seu apti ad concludendum in tribus Figuris? R. Novemdecem, his fictitiis vocabulis expressi,

Figura 1. Barbara. Celarent. Darii Ferio. (Baralipton. Celantes Dabitis. Fapesmo Frisesomorum)
2. Cesare. Camestres. Festino. Baroco
3. Darapti. Felapton. Disamis. Datisi. Bocardo. Ferison.

Quorum quinque ultimi primæ Figuræ (Parenthesi propterea inclusi) sunt *Indirecti* : reliqui omnes *Directi*. Eorumque tres *Syllabæ* (nam in *Baralipton* & *Frisesomorum* quarta &c. metri gratiâ additur) tres Syllogismi Propositiones denotant, sc. prima *Majorem*, secunda *Minorem* &c. Cujuslibet autem Syllabæ *Vocalis* Propositionis illius *Quantitatem* & *Qualitatem* designat ; juxta ea, quæ de A. E. I. O. ante-dicta sunt.

Modi *Directi* primæ Figuræ.

BAr- *Omne animal est Substantia.*
bA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
rA. *Omnis homo est Substantia.*

CE- *Nullum animal est planta.*
lA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
rEnt. *Nullus homo est planta.*

DA- *Omnis homo est rationalis.*
rI- *Aliquod animal est homo.* Ergo,
I. *Aliquod animal est rationale.*

FE- *Nullus Æthiops est albus.*
rI- *Aliquis homo est Æthiops.* Ergo,
O. *Aliquis homo non est albus.*

Modi *Indirecti* primæ Figuræ.

BA- *Omne animal est Substantia.*
rA- *Omnis homo est animal.* Ergo,
lIP. *Aliqua Substantia est homo.*

CE-

CE- *Nullum animal est planta.*
lAn- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tES. *Nulla planta est homo.*

DA- *Omnis homo est rationalis.*
bI- *Aliquod animal est homo.* Ergo,
tIS. *Aliquod rationale est animal.*

FAP- *Omnis homo est animal.*
ES- *Nullum brutum est homo.* Ergo,
MO. *Aliquod animal non est brutum.*

FrIS- *Aliqua virtus est delectabilis.*
ES- *Nullum vitium est virtus.* Ergo,
OM. *Aliquod delectabile non est vitium.*

Modi ſecundæ Figuræ.

CES- *Nullum brutum est rationale.*
Ar- *Omnis homo est rationalis.* Ergo,
E. *Nullus homo est brutum.*

CAM *Omnis homo est rationalis.*
ES- *Nullum brutum est rationale.* Ergo,
trES. *Nullum brutum est homo.*

FES- *Nullus homo est brutum.*
tI- *Aliquod animal est brutum.* Ergo,
nO. *Aliquod animal non est homo.*

BA- *Omnis homo est rationalis.*
rO- *Aliquod animal non est rationale.* Ergo
CO. *Aliquod animal non est homo.*

Modi tertiæ Figuræ.

DA- *Omnis homo est rationalis.*
rAP- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tI- *Aliquod animal est rationale.*

FE-

FE- *Nullus homo est rationalis.*
sAP- *Omnis homo est animal.* Ergo,
tOn. *Aliquod animal non est rationale.*

DIS- *Aliquod animal est rationale.*
AM- *Omne animal est vivens.* Ergo,
IS. *Aliquod vivens est rationale.*

DA- *Omnis avarus est miser.*
tIS. *Aliquis avarus est dives.* Ergo,
I. *Aliquis dives est miser.*

BO- *Aliquod animal non est homo.*
CAr- *Omne animal est vivens.* Ergo,
dO. *Aliquod vivens non est homo.*

FE- *Nullum vitium est amandum.*
rIS- *Aliquod vitium est delectabile.* Ergo
On. *Aliquod delectabile non est amandũ.*

Nota 1. Dari *quartam Dispositionem* Medii, ut sc. sit *Prædicatum* in primâ & *Subjectum* in secundâ Propositione ;

ut { *Omnis homo est animal.*
Omne animal est vivens. Ergo.
Omnis homo est vivens. }

quæ dicitur *Quarta Figura* & *Figura Galenica*, à *Galeno* Authore ; & variari potest per omnes *Modos Directos* & *Indirectos* primæ Figuræ, transpositis solùm Præmissis, juxta hoc distichon

BArAMAr. CAlErEM. DIMAI. FIMEO. (BAMAIIPton ;
CAlEMES. DIbAMIS. FESAPO, FrISESOnorum.)

Atque adeo *Quarta Figura* revera est tantùm *Prima*, minore Propositione primo loco positâ, & majore secundo.

2. Syllo-

2. Syllogismos fieri *Indirectos* in Modis secundæ & tertiæ *Figuræ*, si conversâ Conclusione maneant eædem Præmissæ, vel transpositis Præmissis maneat eadem Conclusio: sic

Figura { 2. CAMESE. CESArES FItESMO. BOrACMO—
DAPAMtL
3. FAPEMtOn. DAtISIS. DISAMI. BOCArMO. PISErOM }

3. Syllogismos ex Præmissâ *Universali* & *Singulari* constantes ad Modos *Particulares* reduci:

ut { *Omnis homo est rationalis.*
Davus est homo. Ergo,
Davus est rationalis; ad DARII, &c. }

Hæc de Principiis *Internis* Syllogismi: Principia *Externa* sunt, quæ in ipso Syllogismo non continentur. Suntque *Dirigentia* vel *Perficientia*.

Principia *Dirigentia* sunt ad quæ, tanquam ad normam, Syllogismus omnis conformandus est. Et sunt *Primaria* vel *Secundaria*.

De Dicto de *OMNI* & *NULLO*.

Principia Dirigentia *Primaria* sunt *Axiomata* (i. e. propositiones per se notæ) quibus vis Illationis seu Consequentia Syllogistica innititur. Suntque duo,

Ax, 1. *Quæ conveniunt in eodem tertio, conveniunt inter se.* (si alterum saltem illorum toti illi conveniat:) ut, quia *Substantia toti animali* convenit, & *Ho-*

mo in parte ſeu *alicui*; ideo *Homo* & *Subſtantia* inter ſe conveniunt. At quia *Homo* & *Brutum* conveniunt *Animali* in parte ſeu *alicui*, non exinde ſequitur illa convenire inter ſe; quia *aliud* & *aliud animal* intelligitur. Et ſic revera non conveniunt in eodem tertio. v. Ax. 4. Unde

Quicquid univerſaliter affirmatur de aliquo, etiam de omnibus ſub illo contentis (illive identificatis) affirmabitur. τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαί ἐστιν, ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν, καθ' οὗ θάτερον οὐ λεχθήσεται *Arist. 1. pr. c. 1. §. 11.* *Dici de Omni* (vel *Univerſaliter* affirmari) eſt, quando nihil Subjecti ſumere licet, de quo alterum non dicatur: ut, quia *Subſtantia* de *omni Animali*; etiam de *Homine* (& *aliis ſub Animali* contentis) dicitur in *BArbArA*. Et idem eſt de *DARII* &c. Ratio eſt, quia aliàs Contradictoria eſſent ſimul vera; ut, *Omne animal eſt Subſtantia*; &, *A. animal* (*ſc. homo*) *non eſt ſubſtantia*. Hoc *Dicto de Omni* (ut vocant) Syll. omnes *Affirmativi* fundantur.

Ax. II. *Quorum unum non convenit, & alterum convenit eidem tertio, eorum primum ſecundo non conveniet*; (ſi alterum ſaltem illorum toti tertio conveniat aut non conveniat:) ut, quia *Nix nulli homini* convenit, & *eſſe album alicui*; ideo *Nix alicui albo* non convenit. Item